



1790

\*

1.

2. \*

3. \*

4. \*

5. \*



1798, 21.

DE CAUSIS  
AVCTORITATIS IVRIS CANONICI  
IN  
IVRE CRIMINALI GERMANICO  
DISSERTATIO SECVNDA

---

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRO SYMMIS  
IN VTROQVE IVRE OBTINENDIS HONORIBVS

A. D. CAL. MART. CIOIÖCCXCVIII

H. L. Q. C.

DEFENDET

CAROLVS AVGVSTVS TITTMANN

VITEBERGA SAXO

PHIL. DOCT. ET ART. LIB. MAG. IVR. VTR. BACC.

---

LIPSIAE  
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.





PRAECEPTORIBVS  
OPTIME DE SE MERITIS  
CAROLO FRIDERICO HESSLERO

PASTORI ECCLESIAE COLLOCHAVIENSIS

ET

IOANNI FRIDERICO GVILIELMO  
TISCHERO

ECCLESIAE ET DIOECESIOS IVTERBOCENSIS PASTORI  
ET SVPERINTENDENTI

HVNC

LIBRVM INAUGVRALEM

D. D. D.

CAROLVS AVGVSTVS TITTMANN.



FRANCOFORT

— GOTTINGEN DE 18 ME 1815

CAROLO FRIDERICO HESSLIRO

FRIDERICI HESSLIRO CONFIDARIUS

ET

JOHANNI FRIDERICO GALLIENO

TISCHNERO

FRIDERICI HESSLIRO CONFIDARIUS

FRIDERICI HESSLIRO

1815

FRIDERICI HESSLIRO

1815

CAROLO FRIDERICO HESSLIRO



---

C O N S P E C T V S.

---

PARS II. De causis auctoritatis iuris canonici in iure criminali germanico propriis.

Ad causas illas pertinet §. 1.

I. *pessima iuris criminalis illo tempore conditio, ea*

1) *orta erat* in vniuersum ex eo, quod

a) auctoritatem fere omnem amiserant leges Germanicae, et Regum Francorum Capitularia.

b) *legum pessima conditio, et seculi ingenium turpissimis consuetudinibus locum faciebat* §. 2.

2) *conspicua, vero erat*

a) *in impedimentis* quae obstabant exercendae potestati iudiciali §. 3.

b) *in absurda causas criminales tractandi ratione* §. 4.

c) *in poenis nimis crudelibus, aut non idoneis* §. 5.

quare leges vel minime perfectae erant exoptatissimae §. 6.

II. *ratio ius criminale redigendi in formam artis et disciplinae* nimirum

1) *tempora quidem erant illi negotio minime idonea* §. 7.

2) *tractabatur ita, vt*

a) omnia e glossis haurirentur,

b) ex iure Romano et Canonico systema iuris criminalis componere studerent Doctores,

c) in vsum iudicum formulae conciperentur, eae vero ex iure Romano et canonico petitae — §. 8.

III. *indoles iuris canonici, cum consuetudinibus Germanicis criminalibus optime conspirans, cuius*

- 1) *causae exponuntur* — §. 9.
- 2) *exempla afferuntur* — §. 10 et 11.

IV. *iurisdicatio criminalis a clericis acquisita, ex quo factum, vt occasionem nanciscerentur iuris canonici praecepta adhibendi in iudiciis* §. 12.

#### COROLLARIUM.

- 1) de studio impediendi illam iuris canonici vim et auctoritatem §. 13.
- 2) de peruersa huius studii ratione §. 14.
- 3) de tempore, quo vim exercere coeperit ius canonicum in iure criminali Germanico. §. 15.



---

DE CAUSIS  
AUCTORITATIS IURIS CANONICI  
IN  
IURE CRIMINALI  
GERMANICO.

---

Exigente nuper a nobis necessitate, ut virorum doctorum examini libellum quendam submitteremus, causarum, *quae iure canonico in iure criminali germanico vim tribuerunt* investigandarum, periculum quidem fecimus, sed ita, ut primum tantum eamque generalem partem huius argumenti nobis tractandam sumeremus, specialis partis elaboratione alii opportuno tempori reservata. Quod vero cum nunc aduenisse videamus, quin opus inchoatum perficeremus minime dubitauimus.

Allatis autem iam causis iis, quae effecerunt, ut in omnibus Germanorum iuribus, atque etiam in iure criminali auctoritatem nancisceretur ius canonicum, sequitur, ut nunc *de causis in specie dicamus iis, quibus media aetate solum ius criminale germanicum mutatum est, quo facto, de studio opprimendi et depellendi e foris germanicis usum iuris canonici, atque de tempore quo in Germaniam aduenerit, quantum ad rem nostram facit, nonnulla sumus disputaturi.*



---

P A R S II.  
D E C A V S I S  
A V C T O R I T A T I S I V R I S C A N O N I C I  
I N  
I V R E C R I M I N A L I G E R M A N I C O  
P R O P R I I S.

---

§. 1.

Causarum vero, quae iuri canonico in iure criminali auctoritatem tribuerunt *proprium*, quatuor potissimum reperiuntur. *Prima* quidem in peruersa iuris criminalis conditione quaerenda est, cui a ratione ius criminale in formam artis et disciplinae redigendi *altera* accessit. *Tertia* ex eo orta videtur, quod iuris canonici indoles saepe conspiraret cum moribus antiquis Germanorum et institutis, in iudiciis criminalibus obuiis. *Quarta* denique, eaque haud vltima grauitate, in eo ponenda est, quod episcopi, et in vniuersum clerici iurisdictionem occuparunt. Sed de singulis sigillatim dicendum est.

B

## §. 2.

Primum igitur *ipsa iuris criminalis tum pessima conditio* iuri canonico viam aperuit. Neque enim legibus regebantur Germani, sed consuetudinibus, iisque illo tempore prauis atque ineptis. Nam, cum leges illae Germanorum antiquissimae, *Salica, Ripuariorum, Alemannorum, Frisionum, Saxonum* aliaeque, ingenio populi, temporibusque non amplius essent accommodatae, *capitularia vero regum Francorum*, in se iam non ita comparata, vt auctoritatem suam diutius conseruare possent <sup>1)</sup>, extincta Carolingorum stirpe sensim sensimque omni excidissent vsu <sup>2)</sup>, neque ab imperatoribus Saxonicae Sueuicaeque stirpis nouae

1) Laborabant enim capitularia hoc inprimis vitio, quod rationem causas criminales tractandi non satis recte tradebant. Quae enim hac de re praecipue a *Carolo M.* et *Ludouico Pio* in Capitul. Libr. V. cap. 156 et 160. Libr. VII. 186 et 159 sancita inueniuntur, de quibus vid. *LEHMANN* Chron. Spir. B. H. Kap. XXVII. pag. 93 seq. paucissima tantum erant, et irrita reddebantur constitutionibus aliis, vt de testibus, de iuramento et ordaliis, rectae veritatis eruendae rationi plane contrariis. Quare, si qua adhuc etiam sana ad ius criminale spectantia capitularibus inessent, ea ad poenas tantum spectabant, eas vero multo seueriores antiquioribus legibus continebant. vid. *Chr. Gottfr. HOFFMANN* Praenotiones de origine progressu et natura iurisprudentiae criminalis germanicae. Lips. 1722. §. 37. *ENGAV* elem. iur. crim. Lib. I. Tit. I. §. 5. et *BIENER* Commentarii de origine et progressu legum iuriumque Germanicorum, P. I. pag. 197.

2) Non dubitauit, quin hoc tempore dicerem interiisse capitularium regum Francorum auctoritatem. Quanquam enim non desunt exempla de vsu capitularium ex historia recentiorum temporum petita, sicuti de *Ortonis I.* temporibus *ROMERVS* testis est, apud quem in appendice ad *Reginonis* chron. Libr. I. cap. 53. ad A. DCCCCLII legitur *canonum sanctorumque Patrum auctoritate, nec non capitularium praecedentium regum institutis coram positis* — tamen, a stirpis Carolingicae interitu omnis petenda est causa, cur capitularium auctoritas, quam et ipsa eorum indoles imminuebat, et, vt docent *CONRING* de orig. iur. Germ. cap. XVII. pag. 94. et cap. XIX. pag. 103. nec non *MONTESQUIEU* L' esprit des loix, Livr. XXVIII. chap. 9. clerici, duces atque comites Germanici, ad maiorem libertatem pote-

leges scriberentur 3), res publicas fere vnice spectantibus; factum est, vt ius criminale quoque germanicum omnibus paullatim certis et accuratis regulis destitueretur 4), et iudicum imperitorum ac scabinorum arbitrio in administranda iustitia campus relinqueretur amplissimus 5). Quod quidem eo maius damnum inferebat, quo magis ex illius aetatis ingenio sopitae quasi iacebant litterae, ac summa paene omnes tenebat inscitia. Clerici enim, qui fere soli litteris operam dabant, sententiae, ecclesiam

---

statemque adspirantes, impugnare studebant, BRVNQVELL Hist. iur. P. IV. cap. IV. §. 1. GILBERRAD ad HEINECCI Hist. iur. Libr. II. cap. II. §. 47. maxime exolescere coeperit, ita, vt, si quid ex iis retentum esset, in vim consuetudinum, non legum adhiberetur, vt SENCKENBERG von dem jederzeit lebhaften Gebrauch des uralten deutschen bürgerlichen und Staatsrechts, Kap. I. §. 8. RVNDE Grundsätze des deutschen Privatrechts, §. 21. et Fr. Chr. Fon. FISCHER Entwurf einer Geschichte des deutschen Rechts, Leipz. 1781. §. 9. pag. 16 seq. obseruarunt.

3) Nam, quae ab illis latae reperiuntur leges, paucissimae sunt, BRVNQVELL I. c. P. IV. cap. IV. §. 4 seq. et statum publicum magis, quam crimina spectabant. Quod factum est partim propterea, quoniam, cum proceres regni maiorem indies potestatem sibi vindicare inciperent, statum regni publicum legibus componere vtilius videretur, partim, quod esset illis temporibus opinio, non decere, regibus rationes priuatas legibus definiendas relinquere, RVNDE l. c., crimina vero rebus priuatis falso annumerarentur.

4) vid. DE BOEHMER elem. iurispr. crim. §. 8. STRVBEN Nebenstunden, Th. I. pag. 515. Th. II. pag. 463 Th. III. pag. 52. Th. IV. pag. 38 seq. et Th. V. pag. 26. Quae quidem iuris criminalis incerta ratio eo minus euitari poterat, cum, vt in not. 2. ad hanc §. docuimus, passim adhuc ad capitularia regum Francorum prouocaretur, neque tamen vbiq; nec semper, ita, vt iudices prout affectibus instigarentur, sententias ferre possent.

5) vid. Ioh. Fr. BRUMMER de scabinis, in EIVS Opusc. a Georg. BEVERO, Lips. 1712. editis pag. 263. et MEISTER Einl. zur peinl. Rechtsgelehrsamkeit, I. B. I. Abschn. IV. Hprst. §. 10. pag. 74. nec non RVNDE l. c. §. 22. pag. 17.



non sitire sanguinem <sup>6)</sup> adhuc inhaerentes <sup>7)</sup> plane abstinebant a causis criminalibus <sup>8)</sup>, praesertim, cum gratis eiusmodi negotiis defungi nollent, attamen in causis criminalibus mercedem petere dubitarent <sup>9)</sup>, et, licet hoc non curauerint, exiguam tantum vel nullam accipere remunerationem <sup>10)</sup>. Ex quo factum est, vt etiam iudiciis interesse solerent homines illiterati ac rudes <sup>11)</sup>,

6) De huius opinionis causa, immanitate scilicet atque saeuitia, qua poenas sumere solebant gentiles a delinquentibus, a qua quam maxime abhorrebant primi Christiani. vid. *Petr. GALLADE* Diss. de ecclesia sanguinem non sitiente, Heidelberg. 1708. et *Chr. NETTEBLADT* Diss. eiusd. argumenti Gryphiswaldiae, 1741.

7) Ab hac enim sententia deinceps decessisse clericos, et *BOEHMER* in iur. eccl. Prot. Libr. III. Tit. I. §. 62. Tit. XX. §. 74. docet, et *DREYER Sammlung vermischter Abhandlungen, Th. II. pag. 674. not. 17.* pluribus exemplis affirmat.

8) Conf. *BOEHMER* l. c. Libr. V. Tit. XII. §. 12. E recentioribus temporibus exempla peti possunt ex epistola *Chr. TENGLERI* Iur. Can. in Vniu. Ingolstadiensi Doctori, quae praemissa est praefationi ad *Udalrici TENGLERI Layenspiegel*, de A. 1518. fol. I. b. seq. in qua patri, qui speculum Laicorum, cuius auctor erat, ipsi perlustrandum et corrigendum miserat, aperte profiteretur, se id non facturum esse. In eo enim multa contineri ad causas criminales pertinentia, quae clericum, cuius personam ipse gereret, nullo modo decerent. Conf. hac de re *MALBLANK Geschichte der P. G. O. Kaiser Karls V. Kap. III. §. 21. pag. 93* seq. vbi et alia eiusmodi afferuntur exempla.

9) Vid. *MALBLANK* l. c. Kap. III. §. 21. pag. 95.

10) Ita *Io. BOEMVS Aubanus* in libro qui inscribitur, omnium gentium mores leges et ritus Friburgi Brig. 1540. Libr. III. Kap. XII. pag. 204. de Germanis dicit, *iudicandi munus necessario subeunt, licet remunerationem seu mercedem inde nullam expectent, praeter honorem, pro communi tantummodo bono, suis negotiis posthabitis, iudiciis statuto tempore intendunt.* Conf. etiam *SCHMIDT Geschichte der Deutschen, Th. III. pag. 104.* Ex quo hoc etiam damnus ortum videtur, vt, cum salarii loco poenae pecuniariae cederent iudici et assessoribus, saepius lucri capiendi causa poenae imponi solerent.

11) vid. *DE BÖHMER* elem. iurispr. crim. Sect. I. cap. I. §. 9. quod etiam ex pluribus G. C. C. intelligitur articulis. Faciunt huc quoque verba *Io. BOEMI* l. c. Libr. III. cap. XII. pag. 203.: „si de criminibus agitur, assident in concilio hi, quos sibi ciuitas dele-

atque adeo vigere coeperit opinio, eum, qui causas criminales diiudicare velit, rudem esse debere ac imperitum<sup>12)</sup>, quapropter ne imputari quidem solebat inscitia iudicibus imperitis<sup>13)</sup>. Accedebat, quod Germanos multo immaniores crudelioresque ferebat illa aetas, quam prioribus temporibus, cum rudiores adhuc essent, atque incultiores, et plane deficerent instituta ad politiam pertinentia. Ex quibus omnibus oriri necessario debebant et turpissimae consuetudines eaeque rectae rationi plane repugnantes, et summa administrandae iustitiae perturbatio<sup>14)</sup>.

„git: rei ipsi ligati adducuntur; accusatoribus et reorum defensoribus dicendi copia datur; quibus auditis eunt in sententiam, *non ut leges censent, quas non nouerunt*, sed pro, „vt ratio eis dicat, atque iudiciorum consuetudo habet.“ — et pag. 204.: „In com, „muni iustitia per totam regionem ab illiteratis administratur. In singulis oppidis et non, „nullis pagis etiam viri duodecim vitae integritate ac honestate praecipue eliguntur in, „iudices, *nullo habito respectu sciantur litteras, vel non*. Potest quoque haec immensa inscitia probari ex more, loco subscriptionis signum crucis ponendi. vid. DV FRESNE DV GANGE Glossar. Vol. III. pag. 1191. f. v. crux. qua de re exempla leguntur apud SPELMANN Tom. I. Concil. pag. 193. et 198., et apud MABILLON de re Diplom. Libr. VI. pag. 543. et 544.

12) vid. KRESS in praefat. Comment. ad C. C. C. pag. 7. et Job. Lorenz DORN *Versuch eines praktischen Commentars über das peinliche Recht, Leipz. 1790. B. I. Einleit. §. 6. pag. 13.*

13) Etenim, si dolo male iudicassent, munere priuabantur de *Capitul. A. 829. Tit. II. §. 2.* apud GEORGISCH pag. 901. cum contra, ob inscitiam male negotium administrantes, nullam poenam luerent, vid. BRUMMER l. c. cap. VIII. §. 9. pag. 356. et HEINECCIUS elem. iur. Germ. Libr. III. Tit. I §. 21. pag. 371 seq. Tom. II.

14) Quare Nic. de CUSA de concordantia catholica Libr. III. cap. 31. apud Sim. SCHARDIVM Syntagma tractatum Argent. 1609. No. 11. „Insuper, inquit, hodie videmus „aut confusionem maximam in ordine iudicario, aut penitus nullam iustitiam. Honor di, „stinguitur a iure. Et occupare etiam maxima dominia nobiles licite se posse dicunt, vbi „possessorem nihil iuris habuisse neque habere contendunt. Per vilissimum diffidationum



## §. 3.

Vt autem singulis rebus describendis clariorem reddamus illam iuris criminalis pessimam conditionem, ab *impedimentis quae illo tempore potestati executivae obstabant*, incipiendum est. Ac primum quidem impedimentum erat in *manca, de fundamento iuris puniendi notione*, qua factum est, vt iudex non nomine ciuitatis, cui officium iura ciuium a laesionibus defendendi incumberet, in reos animaduerneret, sed tanquam vindex laesi consideraretur <sup>15)</sup>, qui nomine illius et actore tantum exorto in delicta commissa inquirere posset <sup>16)</sup>. Vindictae causa delicta ad iudices deferbantur, vindictae causa puniebantur. Duplex inde damnum ortum est. Alterum, quod plurima, licet grauisima delicta, actore non existente, incognita saepius et impunita relinquerentur: alterum, quod, cum omnia nomine laesi peragi crederentur, intercedente illo, eiusue consanguineis, impunes iudex reos deberet dimittere <sup>17)</sup>. Aliud impedimentum in *asylis* <sup>18)</sup> positum erat, quibus iudices facultate officio satis-

„quodam honorem saluari putant, et vi post ipsam intimatam diffidationem ex quacunque conficta aut nulla causa qualitercunque rapta, palam et occulte licite credunt possideri.“

15) vid. MALBLANK l. c. Kap. II. §. 10. pag. 27. et §. 15. pag. 70.

16) *Capitul.* Libr. V. c. 244. et Libr. VII. cap. 130. Sic etiam in *Iur. Prov. Sax.* Libr. I. art. 66. dicitur, *wor keyn Kleger ist, da sal auch kein Richter sien.* Quem quidem locum, nec de causis ciuilibus, nec de satisfactione laesi, de qua iudici ex officio sententiam ferre haud licebat, ut cum FRANCISCO DVARENO in *Disput. Anniuersar.* Libr. I. cap. 38. HERIVS de paroemiis Germanicis, Libr. I. Part. XVI. in EIVS *Opusc.* Vol. I. Tom. III. pag. 421. putauit, sed de causis criminalibus intelligendam esse, quippe quod de his tantum ibi sermo sit, pluribus docuit GERBAUER *Diss. de iudiciis non capitalibus veterum Germanorum* in EIVS *Vestigijs iur. germ. ant.* *Diss.* XVII. pag. 721. et DREYER in *Nebenstunden* pag. 30. seq.

17) Vid. MALBLANK l. c. §. 10. pag. 28.

18) E quo asyloꝝum in Germania vsu intelligi quoque ratio potest, cur ius canonicum



faciendi priuabantur, rei vero immunitatem a poenis publicis con-  
 sequebantur. Antiquissima enim illa consuetudo, vt apud om-  
 nes fere populos inuenitur antiquiores, cum religione, tum vi  
 defendentes sceleratos 19), ita quoque maioribus nostris non igno-  
 ta fuit. Erant enim vbiuis fere locorum eiusmodi asyla, et tem-

in iure criminali germanico vim quandam habere potuerit. Etenim, vt non curemus opi-  
 nionem *Cbr. THOMASII*, qui in *Diss. de iure aggratiandi principis euangelici in causis ho-*  
*mocidii*, Hal. recus. 1726. cap. III. §. 4. *ex gentilitio* asylorum in Germania originem  
 repetendam esse contendit, sed probabiliorem sequamur sententiam, quam *BOEHMER* in  
*Tur. eccl. Prot. Libr. III. tit. XXX. et Libr. V. tit. XII. §. II.* *NETTELBLADT* in *Diss. de*  
*ecclesia sang. non sitiente §. 48. Henr. Mich. HEBENSTREIT* in historia iurisdictionis eccle-  
 siasticae *Diss. III. Lips. 1778. §. 21. pag. 37 seq.* et *Andreas ZAVTNER Abhandl. von den Asilen*  
*oder Freitungen*, in *Eivs Gedanken über einige Punkte des Criminal-Rechts, München, 1781.*  
 No. IV. pag. 100 seq. fouent, nimirum ab intercessionibus clericorum, et sanctitate locis  
 quibusdam tributa asylorum originem quaerendam esse, non poterimus profecto non, quin  
 intelligamus, quanta tunc auctoritate polluerint clerici, quantaque superstitione capti fue-  
 rint omnium animi, vt iniuriae et nequitiae potius cuiusque generis, locum relinquere,  
 quam a praeceptis decedere mallent, quas superstitio illos docuisset. Corroboratur adeo  
 haec sententia, si cum *MÜLLERO* in *Reichstragbearer unter Maximilian I. Th. I. Vorstell.*  
 II. cap. 47. §. 7. pag. 674. consideramus, adeo creuisse clericorum vim, ratione immunita-  
 tis poenae reis comparandae, vt postea ne intercessione quidem opus esse putauerint, sed  
 immunitatem reis tribuendam esse contenderint, vel si umbra tantum clerici apparuisset.  
 Ita *MÜLLERVS* l. c. §. 8. pag. 673. exemplum affert clericorum *Wormatiensium A. 1495.*  
 qui contenderant, si pompam annuam ducerent ex vrbe ad aedem B. Mar. Virg. quae ex-  
 tra urbem sita erat, captiuos, e carcere, superstructo portae, qua via ducebat, dimit-  
 tendos esse. Conf. etiam *MALBLANK* l. c. Kap. II. §. 10. pag. 29.

19) Antiquissima exempla occurrunt in *legibus Mosaiscis*, Numer. XXV. cap. II. et 12.  
 in quibus sapientissime sex asyla dabantur Iudaeis, quae aduersus sanguinis vltionem prae-  
 bebant refugium vid. *MICHAELIS Mosaisches Recht*, Th. II. §. 136. pag. 431 seq. (edit. II.)  
 Neque *Gracis* ignota fuerunt asyla, sed innumera. vid. *THUCYD.* Libr. I. cap. 126. 128.  
 134. *STRABO* Libr. VIII. pag. 374. *TACITVS* *Annal.* Libr. IV. cap. 14. De asylo *Rom-*  
*uli* vid. *Dionys. Halic.* *Antiqu. Rom.* Libr. II. cap. XV. pag. 267. edit. *REISK.* Libr. III,  
 cap. XXXII, Libr. IV. cap. XXVI.

pla imprimis, arae, aliaque loca sacra optima sceleratorum propugnacula habebantur, quorum maior reverentia erat, quam criminum iusta detestatio. Deinde est hoc naturae humanae proprium, ut ad iniurias propellendas vlciscendasque quisque promptus paratusque sit, et vim propria vi repellere studeat. Quod uti est naturae sapientissimum institutum, ad sua quemque iura tuenda trahentis, ita vero etiam tam acre et vehemens esse solet, ut paternas iniurias vlcisci, et inimicitias a maioribus susceptas, alere, suosque defendere sanctissimum habeatur summumque decus, ab iis potissimum populis, qui ciuitate bene composita non fruuntur, sed, quam publica defendere auctoritas non potest, propria vi a se suisque depellere coguntur. Idem apud maiores nostros fuit mos, eademque consuetudo. Ut enim antiquissimis temporibus, ad vlciscendam iniuriam paratos, pronos ad iracundiam, et inimicitiarum paternarum alendarum studiosissimos fuisse Germanos constat<sup>20)</sup>, ita medio aevo imprimis conspicua erat illa, in propulsandis propria vi iniuriis, vehementia. Nam vim vi repellere summus honos habebatur; similitates quasi hereditate suscipiebantur, et ad interuentionem suam quisque hostem, quantum posset, prosequabatur. Hinc vero pessima et rei criminali perniciosissima *diffidationum*, uti vocantur, consuetudo orta est. Earum enim inter alios<sup>21)</sup> et hic pessimus effectus erat,

20) TACITVS de mor. Germ. cap. XXI. *suscipere tam inimicitias seu patris seu propinqui quam amicitias necesse est.* VELLEJ. PATERC. Libr. II. cap. 118. *Lex Anglor. et Worinor. tit. IV. §. 5. ad quemcunque hereditas terrae peruenerit, ad illum vestis bellica, id est, lorica et vltio proximi, et solario leudis, debet pertinere;* apud GEORGISCH, pag. 449. Conf. etiam DREYER in *Nebenstunden*, pag. 249 seq. et Carl Gottl. RÖSSIG *Handbuch der Alterthümer der Deutschen*, Leipz. 1797. Abtheil. VII. Kap. IV. pag. 525.

21) Dederunt enim pontificibus, episcopis et reliquis clericis nouam auctoritatis au-

vt a casu, viriumque robore potius et armis, quam a iudicum sententia ius expectaretur, aut pactis, vulgo *Austräge* dictis, lis componeretur <sup>22</sup>). Accesserunt denique *iudicia secreta* quae intra fines Westphaliae minime se retinuerunt, sed per uniuersam Germaniam dissipata rem iudicariam Germaniae fere totam prostraverunt, donec crudelitate sua emendandae rei criminalis et necessitatem demonstrarunt, et occasionem dederunt.

§. 4.

Haec vero impedimenta, si vel reliquissent locum exercendae rei iudicariae, tamen ita erat comparata haec *ipsa iustitiae criminalis exercendae ratio*, vt consilio inuestigandi criminis alicujus auctorem, prorsus repugnaret, quod omnem rem criminalem in pessima quaeuis abire coegit. Possemus hoc quidem probare ipsa, causas criminales tractandi peruersissima ratione, qua omnia agerentur tam temere, vt rei non solum summa cum festinatione ad ultima supplicia darentur, raperentur, praecipitarentur <sup>23</sup>)

---

gendae causam, cum illi initio seculi XI. ad restringendam diffidationum effraenatam libidinem, plures ederent constitutiones, quibus *Treuga* seu *pax Dei*, et *iudices* ex clericorum ordine, qui violatores illarum constitutionum poena ecclesiastica prosequerentur, quique in concilio *Monspeliensi*, A. 1214. c. 33. 34. 39 et 42., et *Tbolosano* A. 1229. c. 31. *paciarum* et in R. I. de A. 1467. §. 12. *conseruatores (pacis)* vocabantur, originem praebuerunt. vid. DATTE de pace Imp. publ. Libr. I. cap. II. §. I. seq. pag. II. et cap. XVIII. §. 7—9, nec non KOPF *von den geistlichen und Civil-Gerichten in den Hessen-Casselschen Landen*, Th. II. St. III. Abtheil. VII. §. 285. pag. 362.

<sup>22</sup>) vid. SCHEIDEMANTEL Repertorium, Th. I. pag. 280. seq. PÜTTER *histor. Entwicklung*, Th. I. pag. 213. Exempla leguntur apud GVDEN *Cod. Diplom.* Th. I. pag. 425. 563. et 570. Ex his *Austragis sententiae Austragales* ortae sunt, quarum e seculo XIII. quoque mentionem facit GVDEN I c. Th. II. pag. 101, 133 et 148.

<sup>23</sup>) Sic vno die, imo vna saepius hora in delicta commissa inquisitionis initium factum,

verum etiam saepe ante causae cognitionem poenis afficerentur <sup>24)</sup>. Quod vero, cum et per se satis constet, et vero etiam non ex regula factum sit, sed per abusum potestatis iudiciariae, illis quidem temporibus faciliorem, eundem vero nullo seculo prorsus delendum, vnum tantum afferamus, vt peruersam veritatis indagandae rationem ostendamus. Fuit enim illis temporibus superstitiosa opinio, ea quidem pluribus populis communis, maioribus vero nostris quasi propria, Deum litibus dirimendis non solum testem interesse, sed iudicem adeo, et singulari modo, si provocatus fuerit, veritatem patefacere. Quae superstitio effecit, vt pessima et absurdissima veritatis inueniendae et litis dirimendae ratio inueniretur. Instituebantur *iudicia Dei* seu *ordalia* <sup>25)</sup>, inualuitque mos probandi veritatem *per consacramentales*. Hinc duplex inprimis damnum ortum est. Etenim et iuramenti purgatorii abusus inde venit <sup>26)</sup>, factumque est, vt ab actoris accusatione, licet plurium testium testimoniis confirmata, reus iuramento se

---

sententiam latam et consummatam fuisse, exempla occurrunt; de quibus vid. HAVSCHIED *Gerichtsverfassung der Deutschen*, §. 59. et not. 5. pag. 201. GERSTLACHER *Sammlung Württembergischer Gesetze*, II. B. in praefat. pag. 120. et DREYER in *Nebensünden*, pag. 49 et 172 seq.

24) vid. DREYER l. c. pag. 175 seq.

25) Profecto etiam ex hoc iudiciorum Dei in Germania frequenti usu confirmari potest sententia, in Diss. I. de causis auct. iur. can. in iure crim. germ. §. 6. a nobis allata, pontificibus iuris canonici obtrudendi studium propterea feliciori successu processisse, quod ipsa Germanorum gens quam maxime superstitioni dedita fuerit, praesertim, cum in ipsis instituendis necessario requireretur clericorum praesentia. vid. MVRATORIUS de iudiciis Dei in *Eivs Antiqu. Ital.* Tom. III. p. 612.

26) MALBLANK l. c. Kap. II. §. 16. pag. 75. et IDEM in doctrina de iureiurando, Altdorf, 1781.

posset liberare 27). Praeterea quoque teterrimus torturae vsus inde a seculo XIII. obtinuit 28), rectamque veritatis cruendae rationem pessumdedit et vitiauit. Ex quibus omnibus vero factum videmus, vt calliditate, robore corporum et malitia absconderetur magis veritas quam aperiretur.

## §. 5.

In tanta denique morum deprauatione, inscitia, superstitione, non poterat non, quin etiam *poenae*, antea plerumque pecuniariae, et profecto morum simplicitati satis aptae, nunc *crudelissimae adhiberentur, inhumanae, irrationales*. Neque enim satis ferre supplicii videbantur rei, si vita priuarentur, sed diris cruciatibus ad mortem rapiendos esse opinio erat 29), ne Deus

27) SCHMIDT *Geschichte der Deutschen*, Th. III. pag. 199.

28) MALBANK *Geschichte der P. G. O. Kap. II. §. 16*, pag. 77.

29) Ad eiusmodi poenas pertinebat I) *Poena decocionis*, (*Syden in Oele, Seden in der Panne*) quam luere debebant signatores nummorum aduulterinorum! Quam poenam vsitam fuisse exemp'is ostendit DE PVFFENDORF Tom. III. Obseruat. iur. vniv. pag. 271. e Cod. Lubec. de A. 1562. cap. 273. DE NETTELBLA *Thesaur. iur. statut. illust. Tom. I. pag. 705. Job. Andr. SILBERMANN Geschichte der Stadt Strassburg, 1746. CASSEL diplom. Abhandl. von den Münzen der Reichsstadt Bremen, pag. 32. et DREYER antiquar. Anmerkungen über einige im mittlern Zeitalter in Deutschland üblich gewesene Lebens- Leibes- und Ehrenstrafen, Lübek, 1792. §. 6. pag. 25 seq. II) *Vivi defossio s. vivi sepultura*, mulieribus in iis causis, vbi mares suspendebantur, vt honori muliebri parceretur, laenda. Ita in Cod. iur. Lubec. de A. 1366. *Quaecunque mulier per furtum suspensionem meretur, pro honore muliebri tumulabitur viva*. Apud DREYER *Sammlung verm. Abhandl. Th. I. pag. 455*. Ceterum hanc poenam praesertim in infanticidio locum habuisse BÖHMER de supplicio paricidarum §. 18. et ex more cum palo (*Pfählung*) coniunctam fuisse, contra HALTHAVSIVM in Glossar. P. I. pag. 117. et QVISTORPIVM in *Grundsätzen des peinlichen Rechtes*, Th. I. §. 75. et in *Beiträgen* No. VII. pag. 109. docet DREYER in libello *über einige Strafen*, §. 7. pag. 33. et in *Diss. de poena viui defossionis et pali*, Rost. 1752. III) *Poena fossae**

a ciuitati repeteret poenas, quibus vindicanda fuissent improborum facinora 50). Eadem et leuiorum poenarum ratio erat. Nam, siue

(die Putze) vbi in fossam palude non aqua repletam detrudebantur rei. Cuius poenae iam in *Lege Burgundionum* Tit. XXXIV. §. 81. mentio facta erat. conf. DREYER l. c. §. 8. pag. 39. IV) *Damnatio ad famem* (*Ausbungern lassen*) ob sodomiam infligi solita, cuius exemplum affert WÜRDWEIN in *Subsid. nou. diplom.* Tom. VIII. pag. 230. DREYER l. c. §. 10. p. 49 seq. V) *Poenā aratri*, quam finium corruptores luere debebant, teste KNICHEN de sublimi et regio territorii iure, cap. IV. no. 250. et SCHMINE in *Monum. Hassiac.* Tom. II. pag. 750., vbi: *wo einer wissentlich Markstein ausgräbet, den soll man in die Erden graben bis an den Hals, und soll dann nehmen vier Pferde, die des Akers nicht gewohnt seyn, und einen Pflug der neu-ist, und sollen die Pferde nicht mehr gezogen, und der Enk nicht mehr geabren noch der Pflugbaler nicht mehr den Pflug gebahren haben, und ihm nach den Halse abren, bis so lange man ihm den Hals abgeabren hat.* conf. C. Guil. MÜLLER de crimine termini moti Lips. 1752. §. XII. pag. 31. QVISTORP *Beiträge* No. VII. pag. 81. et 101. VI) *Submersio in aqua* (*das Säcken, Versenkung in die Wank*) vid. DREYER l. c. §. 13. pag. 63. differebat haec, a poena cullei apud Romanos vsitata, vt QVISTORP docuit l. c. pag. 109. et PÜTTMANN *Elem. iur. crim.* §. 66. not. a.

Aliae poenae capitales, quae nec hodie quidem extra omnem vsum positae sunt, vt *dissectio in partes, poena ignis &c.* diris cum cruciatibus a reis sumebantur. Ita in *poena rotae* infligenda, pectore et ceruice excepta, omnia membra percutiebantur, quo facto viti adhuc rotae imponebantur, vbi per plures saepe dies viuebant, et inter summos tantum dolores animam efflabant: cuius poenae crudelitatem descripsit CONTIVS ad *Instit. tit. de publ. iud.* DREYER l. c. §. 9. pag. 44 seq.

Denique erant quoque poenae multo crudeliores, atque plane immanes, quas vix credere quisque velit. Ita sancitur in *Märker-Gedings-Ordnung zu Ober-Ursel*, ex KREBSII de ligno et lapide, P. I. class. IV. sect. XVIII. §. 17. no. 3. sententia A, 1484 eomposita et primum 1616 typis expressa: *Es soll niemand Bäume in der Mark schelen, wer das thät, dem soll man sein Nabel aus seinem Bauch schneiden, und ihn mit demselben an den Baum nachlen, und denselben Baumscheler um den Baum führen, so lang bis ihm sein Gedärm alle aus dem Bauch umb den Baum gewonnen seynd,* STISSER *Forst und Jagd-Historie der Teurschen*, edit. FRANKII Kap. X §. 28. pag. 475. et in *Beilagen*, Litt. G. pag. 36. et 41. et LERSNER *Frankfurth. Chron.* pag. 468.

30) Nitebatur haec sententia loco scripturae sacrae: Numer. Kap. XXXV. v. 33.

corpus afficerent, aut in mutilantes plerumque degenerabant 31), nulla personae cui infligebantur ratione habita 32), aut summos saltem dolores faciebant 33). Quae libertatem restringebant prout in perpetuum vel in tempus irrogabantur, aut tardum mortis genus erant, aut valetudinem prorsus tollebant 34: quae vero honore priuabant,

31) Erat enim in usu: *I) Oculorum effossio* ob delicta carnis nonnunquam infligi solita. *II) Nasorum, aurium, et labiorum abscissio*, *III) amputatio manus, et digitorum*, quae praecipue ob periurium infligebatur, et cuius vsus inter omnes poenas mutilantes longissime, ad seculum XVI vsque seruatus est; *IV) euulsio linguae*, ob blasphemiam statuta, DE BÖHMER ad art. 198. C. C. C.; *V) conrictio maxillarum*, et *euulsio dentium*; *VI) dilaceratio mammarum*, et *VII) abscissio pudendorum*, cuius exemplum horrendum dictu lectuque praebet locus in *Elencho Waldpodorum urbis Moguninae* apud GYDENVM in Eod. Dipl. Tom. II. pag. 499.

32) Nulla enim ratio habebatur an is, cui manus abscindenda, vel oculus effodiendus esset, vtrumque oculum vtramue manum haberet.

33) Inter illas enim poenas referenda est: *I) perforatio manus per cultrum* (*Messerdurchschlag*), qua poena is, qui rixa orta alterum petierat cultro, quem Germani olim semper secum ferre solebant, afficiebatur: vid. DREYER l. c. §. 20. pag. 110 seq. Nec defuerunt exempla vbi per alia membra culter perfigebatur, cuius rei testimonium praebet *Constitutio des Brünner Stadt - Rechts*, de A. 1243. apud DE MONSE *Schriften der Böhmischen Gesellschaft*, Th. III. Abtheil. III. *Qui iuratos in iudicio mendacii et iniustitiae arguisset, is cum lingua debet statuac coram populo in foro per clavum affigi et cultellus in manus sibi dari, ita quod ramdu sit affixus donec per abscissionem linguae se ipsum redimat.* *II) Lapidatio*, cum rei per plateas profligabantur et ab omnibus iurisdictioni subditis lapidibus et cespitibus percellerantur, licet etiam mortem inde inuenirent. *III) Deuoratio libello famosi*, vid. ESTOR *bürgerl. Rechtsgel. der Teutschen*, Th. I. Tit. XXIII. §. 19. *IV) Poena rrazo di corda* (*das Wippen*), qua ferarum et piscium fures puniebantur, vid. GOTTFR. BERGER *Diss. de poena tratto di corda*, Lips. 1684. et STRYCK *Vs. Mod. Libr. XXVIII. tit. 19. §. 6.*

34) Exemplum praebet poena *immurationis* (*das Vermauern*), falso a quibusdam, vt a MANZELIO in iure criminali Mecklenburgico Sect. III. §. 7. inter poenas capitales relata; non enim vere muris includebantur, cum *immurari* in carcerem includi tantum significaret vt etiam ex TENGLERI *Layenspiegel*, pag. 185. et DV FRESNE *Glossar. Tom. IV. pag. 72.*



frequentissime et singulari ratione infligebantur 55). Neque minus ingenio illius aetatis et aliae poenae respondebant, quae, cum non reum solum, sed etiam alios simul tangerent 56), ac

intelligere licet: sed ergastula pessima erant, et valetudini quam maxime pestifera, cum turpis opinio valeret, erga delicti reum tamquam monstrum plane non officiis humanitatis satisfaciendum esse: conf. DREYER l. c. §. II. p. 53 seq.

35) Huc pertinet: I) *canum portatio*, seu *κυνοφορία*, praecipue ob pacis publicae turbationem luenda, vid. *Iob. Chr. KNÖTZSCHER* Progr. de pacis publicae turbatorum ad canes portandos damnatione, Lips. 1793. exempla leguntur apud PAVLLINI *zeirverkürzende Lust*, pag. 771. DREYER de lithophoria, pag. 22. et HVMMEL *Compend. der deutschen Alterthümer*, pag. 171. II) *salicum portatio*, quae propterea infligebatur poena, ut intelligeretur, reum poena suspendii dignum esse, quippe quod tunc non laqueis, sed virgis salicis suspendebantur, vid. DREYER *antiquar. Anmerk.* §. 15. pag. 78. III) *portatio lapidum*, praecipue mulieribus calumniantibus, rarius maribus, Ioh. WOLF *Lect. memorab. Tom. I.* pag. 429. luenda, vid. DREYER l. c. §. 21. pag. 125 seq. et IDEM *Diss. de lithophoria reus.* Lips. cura *Jugleri* consiliarii Lüneburgici, 1777. IV) *portatio aratri*, V) *rotae*, VI) *sellae*, VII) *ephippii*, aliaque id genus, vid. Sam. LENZ *Abhandl. vom Hund- Sattel- und Pflugtragen*, in EIVS *Magdeburg. diplom. Stifts- und Landeshistorie*, pag. 169 seq. VIII) *corona straminea*, puellis stupratis ferenda. IX) *Submersio in aquam*, seu *ponere ad corbillam*, (*Schwemmung, Dumeln in Water*), praecipue mulieribus quaestum corpore facientibus luenda, vid. DREYER *antiquar. Anmerk.* §. 22. p. 122. X) *abscissio crinium*, iam antiquissimis usitata, *Tacitus* de mor. Germ. cap. XIX. et ob venerationem crinium apud Germanos satis grauis habita, vid. DREYER l. c. §. 19. p. 108. et IDEM *Einleitung zur Kenntniss Lübeck-scher Verordnungen*, III. *Abtheil. V Hauptst.* pag. 403. seq. §. 7.

36) Testimonium praebet *decapitatio domus* (*das Barren der Häuser: Brechzimmern*), quae non exasperandae poenae causa, ut QVISTORP *Grunds. des peinl. Rechts*, Th. I. §. 75. docet, sed singularis poena habebatur, et praecipue in causis fractae pacis, stupri violenti et homicidii, si reus affugisset, locum habebat, vid. SCHOTTEL de singular. in Germ. iur. cap. 114. DREYER l. c. §. 25. pag. 140 seq. IDEM *Abhandl. von der Strafe der Niederreißung und Verbrennung der Häuser: inserta erat primum dem Hannoverischen Magazin*, 1779 St. 37. deinde EIVS *Miscellaneen oder kleinen Schriften über einige Gegenstände des deutschen Rechts, Lübek*, 1784. No. III. pag. 77. et BODMANN *neues iurist. Magazin. B. I.* pag. 281. nec non *Quistorp Beiträge*, No. VII. p. 102 seq.



rationali bonisque moribus plane repugnarent 37) et finem poenarum quam maxime impediabant, et iuris criminalis tunc temporis pessimae conditionis certissimum praebent documentum, praesertim, cum a voluntati carnificis saepius, non a iudice constitutio poenae penderet, hic enim genus tantum illarum crudelissimarum poenarum definiebat, illi vero, vt speciem poenae eligeret, relinquebatur 38).

## §. 6.

Tam cum haec fuerit iuris criminalis pessima conditio, facillime intelligitur, hanc ipsam iuri canonico in iure criminali aperuisse

37) Inter plures, quae hoc loco afferri possent, eiusmodi poenas, instar omnium huc pertinet poena adulterii, quam maxime bonis moribus repugnans, cuius mentionem fecit e *Cod. Lubec. de A. 1243. DE WESTPHALEN Tom. III. Monum. Cimbr. pag. 626. nec non DREYER Einleit. zur Kenntniß Lübeckscher Verordnungen, pag. 408. seq. §. 15. et Idem antiquar. Anmerk. §. 24. pag. 132 seq.*

38) vid. HALTHAVS Glossar. pag. 206. GRUPEN in praefat. ad tract. de applicatione tormentorum, pag. II. HEYMANN Opusc. iur. Germ. pag. 63. SCHROEDER Beschreibung der Stadt Wismar, Beilag. p. 608 et 612. REGKMANN Lübsche Chron. B. III. pag. 215. Ad hunc morem tollendum constitutio quidem inserta est, art. 218. C. C. C., eum tamen et recentioribus adhuc temporibus in vsu fuisse, partim ex TENGLERI speculo laicorum patet, vbi fol. 117. b edit. de A. 1538. tit. von Urtheilen: *Nun würt an erlichen enden durch die urtheyler nit weiter erkennz, dann das der gefangen arm mann mit seiner Uebelebar das Leben verwürkt hat. Auch zu zeiten an solich urtheyl gebangen, das der Richter eynen freien mann, als dem nachrichter zu sprechen, wie er in vom leben zum tod richten. Als dann solt erst der nachrichter erklären, wie er in zu richten und vollziehung thun bevehlen müg: partim ex sententia iudiciali de A. 1592. apud KRUSS l. c. Beilage sub L. 3. pag. 148. darauf erkläret und vor Recht gewisser, Beklagrimme sey vermüge des 121 art. Keys. peinl. H. G. O. dem Kheiser eine Wedde zu halten. Nurbecke stellet ferner zu Rechren wo desselbe Wedde soll zugeben, daruff Meister Hansß vor Recht gewisser, das er se will heraus fhören und lebendig begraven, oder dasß er sie will mit glühenden Zangen zerreißen, oder im Sake drenken nach Gefallen der Obrigkeit: satis intelligitur.*

viam. Vt enim quaecunque de delictis leges meliores in se iam gratae et exoptatae esse debebant illo tempore, ita non poterat non, qui ius canonicum, cuius praecepta moribus Germanorum accommodata, accurata et humaniora reperiebantur, Germanis quam maxime arriderent. Neque id calliditatem fugiebat pontificum Romanorum, qui potestatis suae augendae optimam occasionem sibi oblatam esse rati, sub specie tollendi illos mores praves, emendandique perversam in delicta inquirendi rationem, opportuno tempore Decretum atque Decretales ubique introducere studebant 39). Et factum est hoc quidem in iure criminali eo feliciori successu, quo magis, ob illius aetatis superstitionem, quae e frequenti iuramenti ac iudiciorum Dei usu satis superque apparet, ad jus canonicum, a diuino nuntio hominibus donatum, amplectendum, essent omnes propensi, et plurimi, ex illius iuris humanioribus praeceptis, quam e barbaris iudiciorum civilium consuetudinibus, quae tandem virium robori armisque relinquerent omnia, causas suas mallent diiudicari 40). Accedebat denique, quod a principibus, quorum potestas indies cresceret, iudicia, quibus hucusque interfuerant, desererentur, atque consiliariorum, familiarumque, vti vocabantur, curae relinquerentur. Hi enim, cum plerumque essent e numero doctorum, iuri canonico, vt supra demonstrauius 41), quam maxime deditorum, causas criminales etiam, ex illius iuris praeceptis diiudicare coeperunt 42).

39) vid. ENGAV elem. iur. crim. Libr. I. Tit. I. §. 7. QVISTORP *Grunds. des peinl. Rechts*, Th. I. §. 17. et Cbr. LUDW. STELZER *Grundsätze des peinlichen Rechts*, Erfurth. 1790. Th. I. Kap. IV. §. II. pag. 39.

40) vid. SCHMIDT l. c. Th. III. pag. 130.

41) in P. I. huius Commentationis §. 12.

42) vid. SCHMIDT l. c. Th. III. pag. 197. et MALBLANK l. c. Kap. I. §. 4. pag. 8.

## §. 7.

Altera deinde, qua iuri canonico in iure criminali via aperiebatur, causa, sine dubio *in ratione iuris criminalis in formam artis redigendi* quaerenda esse videtur. Factum autem hoc est primum seculo XIII, quo, confectis Germanicarum consuetudinum collectionibus, in vniuersum iurisscientia Germanica primum coli coepit<sup>43)</sup>, tempore, iuribus non admodum prospero. Primum enim cateruatim iam in peregrinis academiis peregrina iura pauidè ediscebat Germanorum iuuentus. Iam summo cum ardore ea adhibere patriisque consuetudinibus praeferre studebat, non quod meliora et perfectiora his esse cognouerit, quomodo enim de vero illarum pretio ferri potuisset iudicium illo tempore, quo sine ingenio illiberale torperet studium, doctrinaeque laus a voluminum perlectorum magnitudine fere unice penderet? sed quod plane imperita esset patriarum consuetudinum, aut quod iactare se possent iuribus peregrinis ex illis academiis reuersi doctos ac sapientes, et, licet imperitissimi essent iurium periti, docti tamen vulgo putarentur, qui sepulti sub librorum montibus, totos nonnunquam dies, totasque desudassent noctes: vnde cum pallentes, et exhausti studio prodiissent, ea loquebantur saepissime, quae verbis quidem omnes probare cogebantur, (nam librorum opprimebantur testimoniis), quanquam sententiis iudicanda fuissent ineptissima. Iam denique e pugna iuris peregrini et patriarum consuetudinum maxima orta erat iurium perturbatio, ita, vt longe melius gubernata fuisse videretur Germania tunc, cum, quia simplicius adhuc viuerent homines, neque ita mores

---

43) vid. NETTEBLADT *Initia histor. litterar.* P. II. §. 245. pag. 217.



essent deprauati, in armis ius positum esset, quam cum patriae consuetudines legibusque peregrinis commiscerentur a iureconsultis, aut ingenio carentibus, aut malae indolis, qui, vt cera tractatur manibus artificis, ita etiam ius formabant, et leges quo vellent, et ex re sua esset, torquebant et retorquebant 44).

## §. 8.

Rebus profecto sic stantibus, non poterat a viris doctis illius aetatis quidquam expectari aut ratione principiorum subtilius atque rectius, aut ratione formae disciplinae accuratius et simplicius. Maxima vero earum pars omnem operam ponebat in glossis scribendis, plerumque ex iure Romano atque canonico petitis, et si qui essent ingenii viribus bene instructi, glossarumque auctoritati non tantum tribuentes, vel potius ipso legum ingenio ac rationi inhaerentes 45), aut irrisi ab aliis, aut tanquam homines

---

44) Ne vero iniuriam fecisse videamur illorum temporum iureconsultis, monendum est, quod, si quando in scriptis eorum videmus quaedam allata rei naturae repugnantia, et aperte ad leges fallendas dicta, nonnunquam necessitate cogente hoc factum esse, cum novae leges criminales Germanis non darentur, antiquae vero temporum ingenio non amplius accommodatae essent, aut seueriores. Quod etiam hodie saepissime fieri solet, cum eadem uuae legum criminalium inopia, vel potius antiquarum inutilium abundantia laboret omnis fere Germania, ac illis temporibus.

45) Perpauci enim erant, vestigia prementes *ULRICI ZASII*, qui strenue rationem ac mentem legis sequebatur, quare in praefatione ad Tom. V. Opp. pag. 6. „Contestatum „ante omnia volo,“ inquit, „ex solis me textibus iuris, verisque et fundatis rationibus, quae „vel lege vel natura firmantur, pendere, eisque niti et hac re velle. Deinde, ad opinio- „num procellas, quibus, teste *Cebete*, ad scientiam non patet introitus, nolle alligari, quae „apud me, ne minimam quidem auctoritatem habent, nisi vel textu iuris vel euidenti ratione „consistant. Et tertio loco, *Akursii*, *Barr. Bald. Angeli*, et caeterorum auctoritatem, honore „tamen eis debito seruato, non pluris me facere, quam aliorum quorumcumque Doctorum qui „eruditione praestant, vt ita me nullo preiudicio, etiam si fuerint ingenio et doctrina

ciuitati perniciosi condemnati, quin ad vtilitatem iuris criminalis conferre quidquam possent, impediabantur. Ortum est deinde et aliud genus doctorum, qui ad iuris canonici in iure criminali auctoritatem promouendam haud parum attulerunt, quod, dum perturbationi ex iuribus peregrinis ortae vellent succurrere, ex his opus quoddam componere studuerant systematicum 46), ab imperatore, tanquam a *Iustiniano II*, legum criminalium codicis instar promulgandum 47). Accedebant denique et ii, qui in iudicum commodum vernacula lingua congerebant formulas ex iuribus peregrinis, praesertim ex iure canonico haustas, quod *Fridericus RIDERER* 48), *Udalricus TENGLER* 49), *Sebastianus*

---

„in primis excellentes. Veritas enim iuris ex textibus, non ex Doctorum auctoritate eruitur.“  
Idem deinde in *epistola ad Bonifacium AMORBACH*, quae extat in *UDALRICI ZASII epistol. ad viros suae aetatis doctissimos*, quas publici iuris fecit *de RIEGGER*, Ulmae, 1774. No. 40. p. 60.  
„Inualeat ergo,“ ait, inualeat opinatorum turba, inferi, superi et mediocum, opinio, opinio inelament. Nos stentorea voce, veritas, veritas acclamabimus.

46) Ex illorum numero fuit *Guilielmus DURANTI*, qui ad finem sec. XIII. vivebat, et fere primus e iure canonico atque iureconsultorum scriptis, in iure criminali, in primis ordine iudicorum criminalium describendo desudauit, ediditque opus quod inscribitur *Speculum Domini Quilbelmi Duranti una cum addit. Ioan. Andree et Du. Baldi explerum Parauii pridie Nonas Mai. 1479.*

47) vid. *MALBLANK* l. c. Kap. III. §. 21. pag. 96 seq.

48) *Spiegel der wahren Rhetorik usf. M. Tullio C. und andern gereurscht, mit ihren Gliedern klugen Reden Handvriefen und Formen mancher Contract seltsam reguliret, tirschts und nutzbar exemplirt, mit Fügen uff görtlich und kaiserlich Schrifft und Rechte gegründet. Formalen in gemein nie gesehen, izt löblich usgangen — durch Friederich Riederer versammelt, gedruckt 1493*

49) *Layenspiegel. Von rechtmäßigen ordnungen inn Burgerlichen und Peinlichen Regimenten. Mit Additionen ursprünglicher rechtsprüche. — Sampt bewärungen gemeiner rechten und andern anzeygen. Augspurg von Hans Ormar 1509. Qui liber saepius postea editus est sub titulo der Neu Layenspiegel, Straszburg, 1510.*



BRANT 50), aliiq̄ue fecerunt. Iam vero cum omnes, quos nominavimus, iurium doctores cuiuscunq̄ue generis, in iure criminali tractando, hanc viam fuerint ingressi, qua iuris canonici praeceptis quam maxime haberent rationem, eorumque vestigiis etiam recentiores insisterent scriptores 51), quorum in numero fuerunt *Andreas PERNEDER* 52), *Chilian KOENIG* 53), *Iodocus DAMHOVDER* 54),

50) *Der richterlich Clagspiegel. Ein nutzbarer Begriff, Wie man setzen und formieren sol nach ordnung der Rechten eine jede Clag, Antwort und aussprechene Urtheilen. Gezogen außs Geistlichen und Weltlichen Rechten. — Durch Doctorem Sebastianum Brant wider durchsichtiger und mit mehrerem Fleiß zum Theil gebessert. Strassburg, 1518.*

51) Plurimi enim eorum, quos modo laudavimus, etsi erant Itali, tamen, cum in libris suis ius Romanum, atque canonicum cum Germanorum consuetudinibus coniungere studeant, *Fischer Geschichte des reutschen Rechts*, §. 54. pag. 60 seq. eorum scripta magno studio legebantur a Germanis, et in suum ipsorum vsum conuertebantur, vid. *STRVV in Histor. Iur.* Cap. IX. §. 26. pag. 809. Quantum autem, apud Italorum doctores ius canonicum valuerit, tum ex iis patet, quae supra in P. I. huius commentationis §. 12. pag. 34 seq. diximus, tum ex ipsorum scriptis intelligitur. Testimonium huius rei praebet D. CYRILLI FVLGEONI AB ÉBVLO *Summa criminalium*, Venetiis, 1568. in qua omnia iuris criminalis praecepta ex iure Romano inprimis, vero canonico petita atque proposita reperiuntur.

52) „Von Straf und Peen aller und jeder Malefizhandlungen in kurzen Bericht genommen und verfaßt aus den gemeinen Kais. Rechten mit lateinischer Allegation derselben auch darneben Meldung der gebräuchlichen hierinn Hochdeutschlands Gewohnheiten, mit anders zu achten, dann ein gerichtlich Practica aller criminal oder peinlicher Sachen, wie alle Uebelthäter gefänglich anzunehmen, zu verwahren, zu fragen, zu richten und zu strafen, einer ieden Obrigkeit und männiglich, so in Malefizsachen zu thun hat zu wissen besunder nützlich. Durch den hochgelehrten und wohlberedren Weyl. Herrn ANDREAS PERNEDER der Fürstl. Hof zu München Rath und Secretarium mit viel Fleiß zusammengetragen und beschrieben. Gedruckt zu Ingolstadt — 1544.

53) „Praktika und Process der Gerichtsläuft nach den Brauch sächsischer Landen aus den gemeinen päbstlichen Kais. und sächsischen Rechten 1550.

54) „Praxis rerum criminialium. Gründliche und rechte Underweisung welcher massen in Rechtfertigung peinlicher Sachen, nach gemeinen beschriebenen Rechten vor

*Aegidius BOSSIVS* 55), *Franciscus MODIVS* 56), *Alphonsus VILLAGVT* 57), *Tiberius DECIVS* 58), *Prosperius FARINACIVS* 59) aliique, glossatorum opinionibus, iurisque canonici praeceptis repleti 60), non poterat non, quin iure criminali in formam artis redigendo altissimas in illo radices ageret ius canonicum.

## §. 9.

Tertia causa in eo cernitur, quod ius canonicum saepenumero rationem habuit Germanicarum consuetudinum 61), inprimis earum etiam, quae ad rem Germanorum criminalem pertinebant.

Neque enim solum inter incolas Italiae, e cuius gremio prodierat ius canonicum, aliasque gentes a Germanis deuictas, bellis gestis, (vt plerumque fieri solet,) Germanorum mores quam maxime diulgabantur 62), verum etiam et ipsi pontifices Germanorum consuetu-

„und in Gerichten ordentlich zu handeln — durch Herrn Iosten Damhoudern von Brüg — Venet. 1572, quae constituit P. II. eius Practicae gerichtlicher Handlungen etc.

55) *Practica criminalis*. Basileae 1578.

56) *Rerum criminalium praxis et variorum tractatus criminales*, Francof. 1587.

57) *Practica canonica criminalis*, Francof. 1588.

58) *Criminalia*, Francof. 1591.

59) *Opera criminalia*, Francof. 1597.

60) vid. DE BOEHMER in praefat. ad CARPZOVII *Pract. rer. criminal.* pag. 4. et MALBRANK l. c. Kap. III. §. 22 - 24. pag. 94 seq. et Kap. VIII. §. 44. pag. 211 seq.

61) Quod pluribus exemplis, licet ex iure ciuili potius petitis docuerunt ECKHARD in *hermeneutica iuris*, Libr. I. cap. VIII. §. 341 seq. et WALCHIVS ad eundem. Io. GEO. ESTOR vestigia iuris Germanici in iure canonico, et quidem cap. I. X de sponsalibus. De odio in matrimonia imparia et restricto iure nobilitatis germanicae quoad connubia: recus. Marburgi, 1750. C. FERD. HOMMEL de iure canonico ex germanicis legibus et feodalibus explicando libellus singularis, Lips. 1755. nec non GLÜK praecogn. vber. vniuers. iurispr. eccles. §. 37. pag. 56.

62) Quare HUGO GROTIUS de iure belli et pacis, Libr. II. cap. VIII. §. I. „Reuera,“

dines Decretalibus inserere consilii esse ducebant propterea, quod iuris canonici usum optime in Germania promoueri posse existimarent, si in causis ad sedem papalem relatis, decidendis, illarum rationem haberent, simulque cauerent, ne principes Germaniae, tenacissimos morum maiorum, offenderent <sup>63)</sup>, neque causam praebarent, quod frequenti appellationum ad curiam Romanam usu ab illis interdicerentur. Vbi igitur causae decidendae proponebantur pontificibus, vel ad ipsas partium propositiones Decreta sua accommodabant, vel e capitularibus illas diiudicabant <sup>64)</sup>.

§. 10.

Iam vero, ne temere ipsam indolem iuris canonici causam auctoritatis in iure criminali dixisse videamur, exemplis nonnullis id demonstrare conabimur. Ac primum quidem apud Germanos, quod deficeret rectum et verum de societatis civilis ratione iudicium, non, nisi cum actor extitisset in delicta commissa inquirere iudicilicuisse, iam supra ostendimus. Idem vero etiam iure canonico antiquiori iudicibus praeceptum deprehendimus <sup>65)</sup>. Quid? quod

---

inquit, „tantum esse videmus, vt aliud ius Gentium introduceretur, ex quo Germanicae nationes Europam fere omnem inuaserunt. Sicut enim olim iura Graeca, deinde Romana, „ita tunc Germanica instituta passim recepta sunt, et nunc vigent;“ et CORNING in praefat. ad Tacitum: „Videmus,“ ait, „in Italia, Gallia, Hispania, Britannia, Germaniaque omni, „post Romanorum tempora noua quasi gentium iura exorta, quae non aliunde, quam ex antiquissimis Germaniae institutis profluunt.“

63) vid. ECKHARD l. c. §. 353 et 354.

64) Exempla occurrunt permulta, veluti in c. 27 et 28. C. XVII. qu. 4.

65) vid. c. 3. C. V. qu. 2. pr. „Relatum est ad sedem apostolicam, vos accusationes fratrum per scripta suscipere absque legitimo accusatore. Quod deinceps in omni terrarum orbe fieri, apostolica auctoritate prohibemus, et quod nuper factum est, absque ulla re-



et huius Germanorum consuetudinis, qua praesentes essent criminum accusatores, nec, nisi legitime impediti procuratores mittere possent <sup>66)</sup>, ratio habebatur, et praesentia accusatoris tam necessaria iudicabatur, ut omnia sine illo peracta, inuvalida censerentur <sup>67)</sup>. Deinde, ut apud Germanos locus iudicii, praesertim ubi rex, Episcopis, Abbatibus, comitibus, proceribusque aliis praesentibus, ius dicebat, *placitum* <sup>68)</sup>, et aliquem in ius vocare, *bannire* <sup>69)</sup> dicebatur, ita eodem nomine obuenit in iure

---

„tardatione corrigere curamus, nec unquam prius per scripta eorum, qui accusantur, causam discutere liceat, quam per querelantium institutionem vocati canonice ad synodum veniant, et praesens per praesentem agnoscat veraciter, et intelligat quae ei obiciuntur.“

66) vid. SCHMIDT I. c. Th. I. pag. 312. et RÖSSIG *Handbuch der Alterthümer der Deutschen*, Leipz. 1797. Abtheil. III. Kap. IV. §. 17. pag. 314.

67) Ita c. 3. C. V. qu. 2. §. 1. „Leges enim saeculi accusatores praesentes exigunt, et non per scripta absentes. Unde canonica patrum constituta non semel, sed saepissime clamant, nec accusationes, nec testimonium vllum per scripta posse proferre, nec de aliis negotiis quicumque testimonium dicant, nisi de his, quae sub praesentia eorum acta esse noscuntur. Similiter et qui alium accusare elegerit, praesens per se, et non per alium accuset, inscriptione videlicet praemissa. Neque vllus nunquam iudicetur, antequam legitimos accusatores praesentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina. Curandum namque est ne ira quemquam subripiat, faciatque citius omne, quod non licet?“ et c. 2. C. V. qu. 3. „In criminalibus causis nec accusator, nisi per se, aliquem accusare potest, nec accusatus per aliam personam se defendere permittitur.“

68) Vid. Capitul. *Caroli Calui* de A. 858. Tit. XXV. apud Baluz Tom II. capitul. 99. LEHMANN Chron. Spir. Libr. II. cap. 31. pag. 102. et cap. 37. pag. 122. nec non HAVSCHILD *Gerichtsverfassung der Deutschen* §. 39. pag. 134. seq.

69) Vid. Capitul. *Ludovici Pii* de A. 819. apud GEORGISCH pag. 842. WACHTER Glossar. s. v. *bannen* pag. 113. HAVSCHILD I. c. pag. 131. seq. et HYMMEL *Compendium deutscher Alterthümer Nürnberg* 1788. Kap. IX. §. 7. pag. 144.



canonico et locus iudicii 70) et citatio 71) Tum, quem olim in processu criminali morem obseruabant Germani, vt reus, si ter, interiecto septem vel plurium noctium spatio citatus non comparuisset, accusator vero ad duellum cum illo suscipiendum iterum sese obtulisset, gladioque stricto scutum bis percussisset, et semel aerem verberasset, tandem in certamine inferior discessisse iudicaretur 72), eiusdem etiam in iure canonico relicta inueniuntur vestigia, ita, vt ternam citationem emittere, ea vero neglecta, condemnare reum iudices iubeantur 73). Porro nec desunt exempla rationis probandi innocentiam, quibus utebantur veteres Germani 74). Sic rationis probandi per coniuatores et compur-

70) Vid. c. 2. C. XV. qu. 4. „Placita sècularia dominicis diebus, vel aliis praecipuis „festis — secundum canonicam constitutionem minime fieri decernimus. conf. cap. 13. X. de praescriptionibus.

71) Dict. c. 2. C. XV. qu. 4. „Insuper etiam sancta synodus decreuit, vt nulla „iudiciaria potestas licentiam habeat sua auctoritate ad placidum bannire in supradictis „diebus.

72) Vid. HAVSCHILD l. c. §. 28. pag. 84. seq. et §. 38. pag. 132. seq. Kopp von den geistlichen und civil-Gerichten in den Hessencasselischen-Landen Th. I. St. IV. §. 397. pag. 481. et §. 400. pag. 484. et DREYER in Nebenstunden pag. 234. no. 2.

73) c. 2. C. V. qu. 2. „Praesenti decreto censemus, vt inprimis paternaliter vocen- „tur, et per septem dies expectentur, nullius ecclesiasticae rei interdicta licentia. Huic „vero expectationi iterum addantur septem dies, interdicta ecclesiam intrandi licentia, et „omnia diuina officia audiendi. Post vero addantur duo dies, quibus a pace et commu- „nionem sanctae ecclesiae sint suspensi. Deinde vero iterum aliis duobus diebus sub eadem „expectatione deportentur. Quibus vno die superaddit, omni expectatione veluti iam „desperata, reus mox anathematis Gladio feriat.

74) Cum de eo, quid iure canonico de iudiciis Dei statuatur, in ipsa *de iuris canonici in iure criminali germanico vi et effectu* commentatione, vberius disputandum sit, mitto hoc loco ab iis exempla petere licet frequens eorum mentio fiat in c. 20. C. II. qu. 5. c. 7.

gatores mentionem factam videmus 75); sic, vt apud Germanos, qui in ipso delicto comprehensus, aut pessimae indolis homo cognitus fuerat, prohibebatur, quo minus iureiurando purgare a suspicione se posset 76), ita eundem etiam iuris canonici praecepta a iuramento retinent 77). Denique quod ad poenas attinet, reis subeundas, Germanorum morem, quo ob innatum libertatis studium 78), et opinionem, in homines hominibus non competere ius vitae et necis, sed Diis hoc relinquendum esse 79), pecunia potius vel aliis

C. II. qu. 5. cap. 10. X. de excessibus Praelatorum cap. 1. 2 et 3. X. de purgatione vulgari, et alibi.

75) cap. 8. X. de purgat. canon. — „Mandamus, quatenus si accusatores idonei non apparuerint, vt cum septima aut quinta manu sui ordinis, (sicut expedire cognoueris) „per purgationem canonicam innocentiam suam ostendat. conf. etiam cap. 7. 9. 10. 11. et 13. X. eod.

76) Vid. DREYER *Nebensunden* pag. 37 et 38. not. (c). et KOPF l. c. Th. I. St. IV. §. 362. pag. 449. et *Beilage* No. 116. not. (b) pag. 232.

77) c. 15. C. II. qu. 5: „Nobilis homo, vel ingenuus, si in synodo accusatur et negaverit, si eum constiterit fidelem esse, cum duodecim ingenuis se expurget: si antea deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur, sed — feruenti aqua, vel candenti ferro se expurget.“ Idem canon reperitur in cap. 1. X. de purgat. canon.

78) Quo magis enim Germani libertatis seruandae solliciti erant, eo minus etiam eiusmodi poenae iis placebant illi contrariae: quare, cum ipsi populo omne ius puniendi primis temporibus competeret, facile etiam fieri poterat, vt populi ingenio accommodarentur poenae. Accedebat, quod e superstitione non, nisi Deo ius vita priuandi homines tribuerent, ideoque sacerdotibus seu Druidis, quos cum Diis arctissime coniunctos arbitrabantur, negotium morte puniendi homines demandarent. conf. TACITVS de mor. Germ. cap. VII. CLVVERII *Germania antiqua* Libr. I. cap. XXIV. pag. 163. *Iob. Paul. KRESS* de variis iurisdictionis criminalis in Germania generibus *Helmst.* 1730. cap. II Obs. II. §. 2—6, in *PLITT* *Analect. iur. crim. Francof. et Lips.* 1791. No. XI. pag. 413. seq. et DREYER *Samml. verm. Abhandl.* Th. II. pag. 636. seq.

79) Hinc vltima supplicia habebantur quasi sacrificia, diis, ob scelus commissum

bonis, quam morte puniuerunt 80), reoque interfecti cognatis *Weregeldum* 81) vt vocabatur, soluendum imposuerunt, ius canonicum hac in re imitatur 82). Imo et adulterii antiquissimam apud Germanos poenam, ratione aliorum delictorum profecto satis grauem 83), cum marito, conuocatis vxoris propinquis, crines

---

iratis, oblata. vid. DREYER *antiquar. Anmerk. üb. einige im mittlern Zeital. in Deutschl. üblich gewesene Lebens- Leibes- und Ehrensstrafen* §. 15. pag. 76. seq.

80) TACITVS de mor. Germ. cap. XII. et XXI. Sufficiebant quoque illae poenae, cum laeso eiusque consanguineis insuper ius vindicandi laesionem competeret, quod sine dubio magis a laesione deterrebat, quam legum praecepta.

81) Vid. Capitul. Libr. IV. cap. 18. et Libr. V. cap. 107. apud GEORGISCH pag. 1372. et 1429. conf. HAVSCHILD l. c. pag. 16. seq.

82) c. 26. C. XVII. qu. 4. „Omnes Presbyteri interfectores compositione episcopi, „ad cuius parochiam pertinent, soluantur: ita videlicet, vt medietatem *Viregeldi* eius „Episcopus utilitatibus ecclesiae, cui praefuit, tribuat, et alteram medietatem in elemo- „synam illius, iure disperiat, quia nullus nobis eius haeres proximior videtur, quam „ille, qui ipsum domino sociavit.“

83) Neque mirandum est, quod poena adulterii, si cum reliquis poenis comparetur, paulo atrocior videatur. Summa enim apud maiores nostros foeminarum reuerentia, par vxoribus honos, aequale decus erat, neque, vt de barbaris accepimus, honestam seruitutem agebant foeminae. Quo maiora itaque iis iura concedebantur, eo maiora officia imponebantur, eoque grauior laesi officii offensio. Ac, si licet philosophari in re tam remota, ipsum Germanorum ingenium ab eiusmodi perfidia quam maxime abhorrebat. Quo sanctius enim apud maiores nostros fides seruabatur, quam dudum amisimus, eo magis laesam vlcisci debebant. Denique cum tanta esset morum puritas, et libidine non deprauata gens, quae litterarum secreta ignoraret, furtis amoris gloriari nondum didicisset, non mirum est, quod et illibatam pudicitiam et summam castitatem desiderarent, et atrocissima adulterii poena esset illo tempore, quo corrumpere et corrumpi nondum seculum vocabatur. vid. TACITVS de mor. Germ. cap. XIX. et FISCHER *Geschichte des Despotismus*. pag. 41. 47. et 49.

adulterae rescindere, et verberibus e domo omnique vico profligare ius esset 84), etiam in iure canonico scriptam esse cernimus 85).

§. 11.

Ex iis, quae hactenus attulimus, exemplis, quibus plura adiciere facili negotio potuissemus, si res ipsa lucem desideraret clariorem, apparere arbitror, iuris canonici indolem, consuetudinibus maiorum nostrorum, in iudiciis criminalibus adhibitis, fuisse multis modis accommodatam. Quare, hanc ipsam iuris canonici indolem, nemo negabit, multum contulisse ad mutandum ius criminale patrium, ipsique iuri canonico gratiam apud Germanos conciliasse, et auctoritatem.

§. 12.

Nec denique quarta praetereunda causa est, quod, *dum clerici iurisdictionem sibi vindicarent criminalem*, iurisque canonici praecepta causis obuenientibus adhiberent, multum ad ipsam iuris criminalis germanici mutationem effecerunt, idque eo magis, quo magis illos civilis iurisdictionis iura sibi arrogasse constat. Vbi enim primum, extincta Carolingorum stripe, clerici, quam antea sub nomine *episcopalis audientiae* celauerant 86), iurisdic-

---

84) TACITVS de mor. Germ. cap. XIX. „accisis crinibus nudatam coram propinquis „expellit domo maritus et per omnem vicum verberare agit.“

85) c. 5. C. XXXII. qu. I. — „iubemus — vt eum cum ipsa quoque adultera di- „stricte mactare non differas, et caluatos ab inuicem separare.

86) vid. NETTELBLADT Diss. de ecclesia sang. non sitiente. §. 53: pag. 34. Constat enim, regibus Francorum imperantibus, nullam fuisse episcopis et reliquis clericis iurisdictionem temporalem: attamen fieri poterat secundum constitutionem L. I. C. Th. de episcopali iudicio, primum in *Capitul.* Libr. VI. cap. 366. apud GEORGISCH pag. 1585 seq. deinde

tionem secularem simul cum integris terris accepissent ab imperatoribus 87), qui, partim vt amicitiam clericorum sibi concilia-  
rent 88), partim vt principum secularium potentiam coercerent 89),  
largissimis illos cumulabant donationibus, factum est, vt episco-  
pi ducum atque principum iuribus vterentur, et personam secularem  
gerere non dubitarent 90). Eripiebant igitur aduocatis potestatem  
criminales, quae sola illis adhuc relicta fuerat 91), eamque, nisi

---

a GRATIANO c. 35. seq. C. XI. qu. I. repetitam, vt altera parte petente, cuiuscunque  
generis causae ciuiles ad audientiam episcopalem diiudicandae deferrentur. Et habebat  
quidem haec clericis tributa potestas hunc finem, vt amicabili compositione lites dirime-  
rentur, quare etiam CLAVD. FLEURY Instit. iur. eccles. P. III. cap. III. §. 3. *Iudicia illa*  
*(ecclesiastica) inquit, olim amica, quibus duce caritate verum iustumque exigebatur, concordia-*  
*que partium, praecisis omnibus dissidiorum radicibus quaerebatur, degenerauerunt in tribunalia,*  
*in quibus strictum ius regnabat, omnesque subtilioris iuris apices captabantur, nemine quicquam*  
*de iure suo remittente.*

87) Factum hoc est postquam imperio decessissent reges Francorum, ab *imperatoribus*  
*Saxonis*, et primum quidem ab *Orrone I.*, qui teste SCHARDIO de iurisdiet. imperial. p. 261.  
BRVNONI *Archiepiscopo Coloniensi* Ducatum Lotharingiae simul cum iurisdictione concessit,  
qua ille aequae ac iudicio gladii temporalis vsus est. Alia exempla leguntur apud LEHMAN-  
NUM in Chron. Spir. Libr. IV. cap. III. pag. 235 sq. *Ottonis* vero I. exemplum et reliquos  
saxonicae stirpis imperatores secutos fuisse docet NETTELBLADT I. c. §. 54 pag. 34. HER-  
TIVS de orig. et progr. specialium Rom. Germ. Imp. Rerumpubl. §. 7. et in eius Opusc.  
Vol. II. Tom. II. No. I. pag. 21. KOPP *von den geistl. und Civil-Gerichten*, Th. I. St. III.  
§. 61. pag. 105. nec non FISCHER I. c. pag. 65. seq.

88) vid. PFEFFINGER *Virriar. illustr.* Tom. I. pag. 1142. b.

89) vid. HERTIVS I. c.

90) vid. BOEHMER in iur. eccles. Prot. Libr. V. Tit. XII. §. 16. pag. 67. Tom. V.

91) Etenim, cum episcopus iudiciis ciuilibus interesse indecorum haberetur, ita, vt  
si contra fecissent, irregulares fierent: cap. fin. X ne clerici vel monachi: iurisdictionem  
temporalem per *aduocatos*, vt vocabantur, exercendam curarunt, quod ex diplomate AR-  
NULPHI, WICHINDO, *Episcopo Passaviensi* dato, apud HVNDIUM in Metropoli Salisb. p. 349,  
et LAMBECIO Libr. I. Rer. Hamburg. pag. II. edit. FABRICII patet, qui non tamen fas

constitutione *Innocentii III.* 92) ac *Bonifacii VIII.* 95), sensim

eraz, inquit, *Archiepiscopis, civilibus ipsos praesidere iudiciis, sed ad haec nomine suo exercenda a duobus habeantur.* conf. *GRYPHIANDE* de Weichbild. Saxon. cap. 63. no. 9. *MAGER* de advocatia armata, cap. 2. §. 232. *BOEHMER* l. c. Libr. V. Tit. XII. §. 12 seq. pag. 62 seq. Tom. V. *HERTIVS* Diss. cit. §. 5. pag. 13. et *IDEM* in Diss. de iactata vulgo Ord. Cisterciens. libertate etc. Sect. III. §. 7. in *EIVS* Opusc. Vol. II. Tom. II. pag. 273. Deinde vero liberare se studebant ab advocatis, et non, nisi criminalem iurisdictionem iis reliquerunt. vid. *HERTIVS* l. c. §. 8. et 9. pag. 274. et *KAPP* l. c. Th. I. St. II. §. 59. pag. 104 seq.

92) Nam, cum, aucta comitum, ducum principumque Germanorum auctoritate atque potentia, quam maxime imminueretur episcopalis audientia, vid. *KOPP* l. c. Th. I. St. II. Abtheil. IV. §. 106. pag. 144 seq. ita, ut sub hoc titulo non amplius causas civiles diiudicandas sibi sumere possent clerici, constitutione quadam *INNOCENTIVS III.* illud damnum studuit reparare. Is enim cap. 13. X de iudiciis, ex Evangelio Matthaei Cap. XVIII. v. 15—18. probauerat, peccatum ab altero commissum, si amicabile ratione ad virtutem reduci peccans non posset, ecclesiae denunciandum esse. Ex quo sic concludit, „cum enim, non humanae constitutioni, sed divinae potius legi innitatur, quia potestas nostra non „est ex homine sed ex Deo, nullus qui sit sanae mentis, ignorat, quin ad officium nostrum „spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, et si correctionem „contemserit, per distractionem Ecclesiasticam coercere.“ Qua vero ratione facillime erat cuiuscunque generis causam subicere potestati ecclesiasticae, ut vberius docuit *BOEHMER* l. c. Libr. II. Tit. II. §. 4 seq. pag. 980. Tom. I.

93) c. fin. ne clerici vel monachi in 6to. „Episcopus seu quicunque alius Praelatus „vel clericus iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in iurisdictione sua commisso balliuo suo aut alii cuiuscunque iniungat, ut super hoc „veritatem inquirens, iustitiae debitum exaequatur, irregularis censei non debet: quamvis ipse balliuus vel alius contra malefactores ad poenam sanguinis processerit, iustitia „mediante. Nam, licet clericis causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cum iurisdictionem obtinent temporalem) debent et possunt metu irregularitatis cessante aliis delegare. Effectum enim est hac *Bonifacii VIII.* constitutione, ut, quod iure canonico antiquiori c. 30. C. XXIII. qu. 8. et cap. 5. X ne clerici vel monachi, non licebat, sed antea ab imperatoribus fieri debebat, *BOEHMER* l. c. Libr. V. Tit. XII. §. 12. et 13. pag. 62 seq. Tom. V. episcopi advocatis iurisdictionem criminalem demandarent, et ex hac iuris veteris abrogatione, alia

sensinque sibi vindicabant 94). Hinc breui res eo perducta est, vt Episcopi alique clerici 95), vanas causas prae se ferentes, falsisque opinionibus vsi atque sententiis 96), mox acciperent iurisdictionem criminalem 97). Quae, licet aut nullo, aut satis infirmo niteretur fundamento, facile tamen commendabatur populi superstitioni, placebatque propter meliorem causarum tractandarum rationem. Deinde vero principum secularium iurisdictionem aggressi, illorum iura occuparunt aut violarunt 98). Aut

---

eaque maiora iura sibi arrogarent, vid. BOEHMER l. c. §. 16, pag. 66 seq. Tom. V. et KOPP l. c. Th. I. St. I. Abtheil. I. § 63. et not. h. pag. 109 seq.

94) Quam enim aduocatis relictam diximus not. 91. potestatem exercendi iurisdictionem criminalem, ea intacta quidem adhuc iis mansit sub *Otrone I.*, licet quam maxime indulgens esset erga clericos, vid. HEIDER in apolog. discours. von *Reichsvogeyen*, etc. pag. 80 et 83. item quoque FRIDERICI I. temporibus, vt ex *Chron. Hildesiensi* apud Leibnit. Scriptor. rer. Brunswic. pag. 749 constat. Vbi vero latius creuisset episcoporum potestas, et criminalem iurisdictionem exercendam sibi arrogabant: vid. KOPP l. c. Th. I. St. I. Abtheil. I. §. 63. pag. 108 seq.

95) Nam, cum episcopi per prouincias proficiscendi et ius dicendi molestiam fugerent, ad Archidiaconos quoque et Diaconos temporalem iurisdictionem peruenisse, docet *Iob. Paul KRESS Erläuterung des Archidiaconalwesens und der geistlichen Send-Gerichte*, Hehnst. 1727. Kap. II. §. 5. pag. 13.

96) Simulabant enim inter alia, se, in causas criminales inquirentes, non, nisi emendationem et poenitentiam rei quaerere, de quo iam supra not. 92. diximus, aut a Deo ipsis iurisdictionem esse delegatam, vid. EYBEL *Einleit. in das karhol. Kirchenrecht*, Th. III. B. I. Hpts. III. pag. 34 seq. et alia id genus.

97) vid. VAN ESPEN in iure eccles. vniv. P. III. Tit. III. et IV. DV FRESNE DV CANGE Glossar. s. v. *curia Christianitatis*, Tom. III. pag. 1248, GIANNONE *Histoire de Naples*, Libr. XIX. §. 3. et PÜTTER *Erörterungen und Beispiele des reusschen Staats- und Fürstenrechts*. Götting. 1794. B. II. Heft I. Erört. XII. No. IV. pag. 22 seq.

98) vid. *Perr. de CVGNERIIS* tract. qui inscribitur, haec sunt grauamina et usurpationes, quae et quas Praelati et aliae personae Ecclesiae Regni Franciae, vel eorum officiales et iudices pro ipsis fecerunt, et faciunt in praeiudicium iurisdictionis temporalis Dn. Regis,



enim, causas criminales ab iudicibus non recte vel non satis celeriter iudicari, dicentes 99), omnia crimina ad forum suum trahebant 100), aut ex parte saltem, dum causas criminales ad forum cum civile, tum ecclesiasticum pertinere, contenderent 1). Qua ratione vsi, aut reos, qui coram seculari iam poenas dederant, iterum damnarunt in iudicio ecclesiastico 2); aut disciplinae ecclesiasticae instituta, in poenas civiles mutarunt 3), multaque alia excogitarunt, quibus ad se raperent iurisdictionem non civilem solum, verum etiam criminalem 4). Quo facto, transferendi ius canonicum ad usum fori, causasque criminum diiudicandorum et

---

Baronum et aliorum subditorum suorum dominorum temporalium: et *Cardinalis BERTRANDI* responsio ad hunc librum, apud *GOLDAST* Monarch. S. R. Imp. Tom. II. No. XXII. p. 1361 seq. conf. etiam *STRYBEN* in *Observat. iur. Germ. Obsv. VI. pag. 226. s. de potestate iudicum ecclesiasticorum in causis civilibus.* *GEORGII* in *Nat. German. grauaminibus aduersus sedem Romanam* Libr. II. P. II. Sect. II. pag. 451. *SCHILTER* de libertate eccles. German. Libr. III. cap. VI. §. 2 et 3. *GIANNONE* l. c. pag. 725. seq. et *KOPF* l. c. p. 144 seq. 99) vid. *GIANNONE* l. c. pag. 731.

100) vid. *THOMASIVS* de veteri et noua disciplina ecclesiastica. P. II. Libr. III. cap. 75. no. 3. *VAN ESPEN* l. c. P. III. Tit. IV. cap. I. §. 3. pag. 771. et §. 23. pag. 773. *KRESS* l. c. cap. II. §. 4. *DE PVFFENDORF* de iurisdic. German. P. II. Sect. III. cap. I. §. 160. pag. 731.

1) vid. *GIANNONE* l. c. pag. 732. et *KOPF* l. c. §. 108. p. 772.

2) *VAN ESPEN* l. c. P. III. Tit. IV. cap. I. §. 14. pag. 772. *KOPF* l. c. §. 104. pag. 143.

3) Frustra enim ab *ALEXANDRO III.* constitutionem in c. 3. X. de poenis emissam fuisse docet *BOEHMER*, in not. ad hunc locum P. II. pag. 832. Corp. Iur. Can. *GIANNONE* l. c. pag. 728. et *KOPF* l. c. §. 102. pag. 140 seq.

4) Licet non alienum fuisset ab hoc loco, de ratione, qua clerici iurisdictionem iudicium civilem inuaserint, vberius disputare, tamen, cum in ipsa, de vi et effectuius canonici in iure criminali commentatione, accuratius de hac re sit disserendum, vt, quam vim ius canonicum in ratione agendi causas criminales habuerit, intelligatur, id quidem nunc facere omisimus, paucis exemplis allatis contenti.

puniendorum suis praeceptis immutandi et ad iuris canonici instituta accommodandi, optimam nacti sunt occasionem.

## §. 15.

Restat, vt, quod supra polliciti sumus, pauca dicamus de studio principum et populorum impediendae vim iuris canonici in iure patrio. Neque enim plane desidiosi adspectabant illi latius indies serpentem iuris canonici clerique auctoritatem, sed quo maiora detrimenta principum potestati ciuiumque libertati afferre videretur, eo magis etiam pro sua quisque ratione eam studebat impedire atque efficere, ne ius patrium et consuetudines patriae tristissimam facerent ruinam. Vt enim has plane spernere turpe erat, ita illis nimis cedere periculosum videri debebat. Iussit igitur *Fridericus II.* anno MCCXXXVI retineri iura vetusta in iudiciis ciuilibus 5), nulla alia de causa, nisi vt caueret, ne propter decretalium praestantiam in causis tractandis, ius antiquum prorsus negligeretur. Eadem de causa *Fridericus III.* postquam in comitiis imperii, Norimbergae habitis A. MCCCCXXXI. rationem,

---

5) Extat haec constitutio apud *GOLDAST* in *Constit. Imperial. P. II. cap. XV. p. 17.* *Wir gebieten och vllissiglich das man, in allem Römischen Reiche an geistlichen Dingen nach Gebor und Rare der Erzbischove sich habe, und jeglicher Bischof oder Erzpriester nach geistlichen Recht richte. — Man soll och die weltlichen Gerichz an ibren Rechr behalren.* Eandem constitutionem etiam *RVDOLPHVS Imperator* in *Rec. Imp. de Ao. 1287.* apud *LEHMANNYM* in *Chron. Spir. Libr. V. cap. 108. pag. 557.* repetiit. De fide constitutionis *FRIDERICIANAE* vid. quae contra *Io. Dan. GRVBERVM* in *Nov. Act. Erud. Lips. 1738.* disputauit *Io. Godofr. SCHMUZER* de *Friderici II. Imperat. in rem litterariam meritis.* Lips. 1740. §. 8, et de vero eius sensu, contra *CONRINGII* de *Or. Iur. Germ. c. XXVI.* prolatam sententiam, *BOEHMER* de *prax. iur. can. cap. I. §. XXVIII. pag. 40 seq.*

qua ius patrium posset seruari proposuisset 6), anno MCCCCXLI. edixit, ne doctores iuris cum canonici tum ciuili in iudiciis in posterum admitterentur 7). Quod edictum cum illorum temporum opinionibus optime conuenit. Non magna enim Doctorum iuris laus erat, neque honos eximius, sed coloribus depingebantur turpissimis 8), et contumeliose saepe tractabantur 9). Nam, cum

6) vid. SCHILTER in praefat. ad Cod. Iur. Feud. Alem. §. 16. *Item gedenkent zu rarschlagen, wie das die alten Rechte und Gericht gebant habent werdent, und ibren Gang gewinnen, nach dem und das von Alerer herkumen. Item und obe yemand sich dawieder setze, wie man den dazu halten sollee.*

7) Non dubitamus enim cum SENCKENBERGIO in Comment. de receptione iuris Romani §. 55. et not. (d), in *Merhod. Iurispr.* Append. III. pag. 142 seq., et in libro *von der höchsten kais. Gerichtsbarkeit*, §. 115. pag. 87. contra Io. Reimb. KVGLERVM in Diss. *Vindictiae hist. iur. iur. ciu. in Germania contra Reformationem de A. 1441.* Friderico III. adscribi solitam Argent. 1748. et SILBERRADVM in not. (e) ad §. 100. Libr. II. cap. II. HEINECCI Hist. iur. pag. 1042. prouocare hoc loco ad Reformationem Friderici III. de A. 1441. art. V. apud MÜLLERVM in *Reichstagstheater vnt. Fr. III. cap. V.* pag. 57. et GOLDAST I. c. P. I. pag. 166. „Alle Doctores der Rechten, sie seyend geistlich oder weltlich, im Heylichen Roemischen Reiche, Teutscher Nation, sollen nach laudt der „fürgenommenen Reformation, an kaynen Gericht, bey kaynen Rechten, auch in kayns Fürsten oder andern Rärben, mer gelitten, sunder ganz abgethon werden. Sie sollen auch fürsterhin vor Gericht oder Recht nicht weiter reden, schreiben oder Rath geben. Sintmal Gott „den Menschen mit seyner aignen Weylshaidt begnadet und versehen hat; so mag er „in der neyen fürgenommenen Ordnung seines Rechtes selbst wohl warten.“

8) Pertinent huc rationes, in not. anteced. laudatae Reformationis, in declarationibus subiectae. — „dafs an keynem Rechte — keyn Doctores solln sitzen — Wan inen das „haerter, dann den Layen verschlossen ist, und kann in kayner ein Schlüssel darzu „finden, bis baide Thail arm werden oder gar verdorben sindt. — Darumb dafs sie „Stieffvaeter und nit die rechten Erben des Rechten sindt. Dann sie nemen ime „den Grundt der Wahrheit, und bringen durch iren unordentlichen Gaitz, das Recht zu „aynen sollichen Unglauben, das keyn frum Man seyn Vertrawen darein mer setzen „mag. Das hat ewer verkerte Lere inner funftzig Jaren zu wegen bracht.“

9) Exemplum praebet ratio, qua coram iudicio *Heluetico* tractatus fuit Doctor Con-



antea paucissimis diebus causa quaelibet, vel grauissima decideretur, nunc moleste ferebant formam in dectetalibus descriptam, quae, etsi accuratior esset, tamen tardio rem litium diuimendarum rationem praeciperet, cuius rei culpam in doctores coniciebant. Ordines etiam Imperii consuetudines patrias multis modis seruare audebant. Partim enim imperatores ad promulgandas nouas leges adhortabantur <sup>10)</sup>, partim ipsi subditis suis leges ferebant <sup>11)</sup>.

---

stantiensis, quamque *Iob. Condr. KREYDENMAN Bedenken von teutschen Adelsstand*, in BÜRGE MEISTER Bibl. equestri Tom. I. pag. 757. *Fr. Carl von MOSER kleine Schriften zur Erläuterung des deutschen Staats- und Völkerrechts* B. XI. pag. 305. et DREYER *Nebenstunden* pag. 156 seq. ita describunt: „Hort ihr Doctor, wir Aydgenossen tragen „nicht nach dem Bartele und Baldele und andern Doctoren, wir haben sonderbahre „Landgebräuche und Rechte: Naus mit euch, Doctor, naus mit euch, und hab der gute „Doctor müßen abtreten, und sie die Amzleuth sich einer Urtheil vergliechen, den „Doctor eingefordert, und ein Urthel geben, wider den Bartele und Baldele, und wider „den Doctor von Constanz.

10) Vid. HEINECCIUS *Hist. Iur. Libr. II. Cap. III. §. 72. pag. 928.*

11) Pertinet huc *ius provinciale Austriacum* de A. 1190., quod LEOPOLDO VI vel VII. adscribitur, teste LVDEWIGIO in praefat. ad Tom. IV. Reliquiar. qui illud etiam ex Cod. Mscr. edidit in libro cit. Tom. IV pag. 190., deinde *ius provinciale Bavaricum* quod LVDOVICVS BAVARVS et reliqui Bauariae duces A. 1346. colligendum publicandumque curarunt: extat apud LAMBECIUM in Bibl. Vindebonens. Libr. II. cap. VIII. pag. 834. et alia id genus iura a statibus imperii promulgata de quibus vid. BRVNQVELL *Hist. Iur. P. IV. et cap. VIII. §. 8. seq.* et HEINECCIUS l. c. Libr. II. Cap. III. §. 84. pag. 985 seq. Collecta reperiuntur eiusmodi iura ab Ordinibus imperii promulgata in libro *Abrahami SAVRII fasciculus Iudiciarii Ordinis singularis, das ist, ein schoener Ausbund erlicher Cbur- und Fürsten Gerichts- ober und under auch Strafen und Herren Land-Ordnung etc.* Tom. II. Fascic. VIII. Frankf. 1589. et *Statutenbuch, Gesetz und Ordnungen und Gebräuche Kaiserlicher allgemeiner und erlich besondrer Land und Stadtröchren zu Frankfurt 1534.* cuius libri auctorem SENCKENBERGIVS in praefat. ad Tom. II. Corp. Iur. Germ. §. II. *M. Iustin. GOBLERVM* nominat. conf. etiam STRVVI *Bibliorb. iur select.* cura BYDERI (edit. VIII.) cap. V. §. 14. pag. 90. seq.



Equites vero, disceptationes suas a Doctoribus decerni aegre ferebant, armis enim, quam legibus dimicare malebant <sup>12)</sup>. Quare ex ordine equestri alii monebant principes, vt Iureconsultorum arrogantiam reprimerent <sup>13)</sup>, alii, summo cum studio iuris patrii instituta ediscentes, propriis viribus efficere studebant, vt ius Germanicum conseruaretur <sup>14)</sup>. Cui quidem studio egregie inseruiebant consuetudinum Germanicarum collectiones, (veluti *Speculum Saxonicum* et *Sueuicum*) iuris patrii conseruandi causa compositae <sup>15)</sup>. Denique vrbes adeo, siue aemulatione quadam excitatae, siue quod leges communes rationibus suis propriis non

---

12) Exempli loco sunt monita nobilium A. 1429. 1457. et 1498. apud WENCKER ap-  
parat. et instruct. archiv. pag. 67. Ricciardi de ANTIQVIS Epistola — de vsu iur. feudal.  
pag. 44. apud Ienichen Thesaur. iur. feudal. Tom. I. No. XI. pag. 225. et BOEHMER tract.  
de iuribus ex statu militari German. pendentibus, pag. 131. vbi etiam haec, *Ghein Meister  
der Rechte soll dazu kommen, wente se wo neen Gebreche is, Gebreche soeken und maken.*

13) Prouocare hic licet ad grauamina ab equitibus Bauariae principi A. 1499. oblata,  
in *Spec. Cod. Diplom. Bav. Scheidii Bibl. Hist.* Tom. I. pag. 281. „In iudiciis intoler-  
abilis error. Non enim eliguntur iudices more antiquo: sed multi iuris Romani Profes-  
sores, pauci magistratus nobiles atque prouinciales, praecipue in Bauaria vix vnus aut duo  
nobiles in praetorio eliguntur. Cum ius municipale seruandum sit, et antique consue-  
tudines pro legibus habende sint, fit, vt multa hic contraria fiant. Illi enim iuris profes-  
sores nostrum morem ignorant, si sciant, illis nostris consuetudinibus nil quisquam  
tribuere volunt.“ Alia exempla de nobilibus *Würtembergensibus*, *Mecklenburgensibus*, et  
*Bobemicis* leguntur apud MOSER *Specim. Würtemb. Diplom.* pag. 290. de BEHR *Rer.  
Mecklenb. Libr. V. cap. VII. pag. 900.* et DVBRAY *Hist. Bohem. Libr. XVIII. pag. 280.*  
edit. FREHERI.

14) Io. Fr. EISENHARDT Oratio, de meritis nobilitatis Teutonicae in iuris patrii  
conseruationem Helmst. 1755.

15) Hoc enim consilium declarare videtur REBKOVIVS dum Libr. I. art. 3 dicit,  
„der Papst mag kein Recht setzen, da er unser Landrecht mit aendern oder kraenken  
moege.“ conf. Carol. Otto RECHENBERG de origine iur. Saxonici Lips. 1710. §. 17.

conuenirent, rogabant, vt iura sua antiqua confirmarentur <sup>16)</sup>, quod, vbi impetrassent, aduersus peregrini iuris auctoritatem optime sese defendere posse videbantur.

## §. 14.

Quae vero praeclara et laudabilia iuris patrii conseruandi studia, tamen, cum non recte collocarentur, euentu suo caruerunt. Ipse enim *Fridericus III*, quem Doctores ad iudicia admittere noluisse supra vidimus, iis tamen in rebus grauissimis vtebatur <sup>17)</sup>. Et tantum aberat vt iure canonico diserte interdiceretur, vt potius ad illud, tanquam ius commune, in legibus imperii provocaretur <sup>18)</sup>. Inprimis vero in eo peccabatur, quod, cum animaduertere debuissent, quanta auctoritas iuri canonico accessisset a crebris praelectionibus super illo habitis in academiis, nihil tamen in iis

---

16) Pertinent huc *Statuta Susarenſia, Lubecenſia, Hamburgenſia, Coloniensia, Aquisgranenſia, Friburgenſia, Goſlarienſia, Bremenſia, Brunſuicenſia*, et alia, de quibus vid. STRV V Hist. Iur. Cap. IV. §. 27. pag. 493. seq. BRVNQVELL Hist. Iur. P. IV. cap. VII. §. 2—13. pag. 452. seq. HEINECCIUS Hist. iur. Libr. II. Cap. III. §. 87—93. pag. 994. seq. et WALCH *Grundriß der Geſchichte der in Deutschland geltenden Rechte* Th. II. B. II. Hptst. II. pag. 410 seq.

17) Intelligitur hoc ex diplomatibus apud de HARPRECHT *Straatsarchiv des Kammergerichts* Th. I. pag. 144. seq. LÜNIG *Reichsarchiv* P. I. pag. 340. et MENKEN *Script. rer. Germ.* pag. 490.

18) Sic in *Rec. Imp. de A. 1521*. Assessores Camerae imperialis pronunciare iubentur *nach des Reichs gemeinen Rechten*; quod de iure canonico inprimis intelligendum esse, docet BOEHMER l. c. cap. I. §. 20. pag. 43. Deinde etiam huc pertinet *Ord. Iud. Aul. de A. 1654*. Tit. VII. §. 24.: *daß das Corpus ciuile et Canonici allezeit auf der Reichs-Hoff-raths-Tuffel seyn solle, damit man sich derselben bedienen könne*. Alia eiusmodi exempla leguntur apud BOEHMER l. c. et HEINECCIUS l. c. Libr. II. Cap. IV. §. 102 — 105. pag. 1045 seq.

mutaretur. A quibus, si initium factum fuisset, res ipsa facile tolli potuisset 19). Atque haec potissimum causa fuit, quod *Lutherus*, vir immortalis memoriae, ab *Vlrico Hutteno* viro integerrimo egregie sustentatus, ius canonicum non potuerit radicitus extirpare 20). Quamvis enim iurium Doctores illo tempore concedere deberent, ius canonicum quatenus scripturae sacrae repugnaret, abiiciendum esse, idem tamen quoad iura et iudiciorum instituendorum rationem spectaret, summo studio defendebant 21). Quod primum fecerunt Iureconsulti *Wittenbergenses*, *Henningus de Goeden* et *Hieronimus Schvurffius* 22), quos mox *Conradus Mavserus*, *Ioannes Schneidevinus*, *Matthias Wesenbeckius*, *Ioachimus de Pevst*, *Iacobus Thomingius* aliique 23) secuti sunt. Quare, non solum non proscribatur legibus ius canonicum ex academiis, sed admittebatur, atque adeo a Principibus imperabatur 24), vt ab Electoribus Saxonis 25),

---

19) Vid. BOEHMER de prax. iur. can. Cap. I. §. 19. pag. 43. „Verum haec reformatio caruit effectu, postquam necessaria reformatio in academiis neglecta est, sine qua tamen reformatio iudiciorum et fori effectum habere non potuit.“

20) Vid. *Geo. Fr. Deinlein* de D. Luthero in exterminando iure canonico frustra laborante. Alt. 1730.

21) Vid. *Casp. Ziegler* de orig. et increm. iur. canonici §. LXVI. pag. 76.

22) vid. BOEHMER l. c. Cap. II. §. 3. pag. 47. et *Casp. Ziegler* l. c. §. LXV. pag. 75.

23) vid. *Matthias Colerus* in epistola dedicatoria ad tract. de processibus executiuis. Ien. 1586. et BOEHMER l. c. cap. II. §. 7 et 8. pag. 51 seq.

24) vid. *Arthur Dyck* de usu et author. iur. civ. Rom. Libr. I. cap. VII. §. 16. pag. 116 seq.

25) Docet hoc *Jo. Zangerus ICtus Vitebergensis* in oratione A. 1564 habita, qua pontifici legis condendae potestatem esse quidem negat, attamen ius canonicum in scholis docendum esse affirmat: illud inquit, excutiendum restat, quam ob causam Dux Saxoniae *Fride-*

*Brunsvicensibus* 26), aliisque statibus imperii 27) factum esse constat.

## §. 15.

Quae cum ita essent, et causae, quae iurium peregrinorum, imprimis iuris canonici auctoritatem adiuuarunt, et iuris patrii mutationes effecerunt, tam graues essent arteque coniunctae, studia vero, quibus obniti nonnulli conabantur, aut non recte, aut nimis sero collocarentur, nil, nisi quod non penitus iura patria euanescerent, effici poterat, factumque est, ut inde ab exeunte seculo XI. in iure Germanico, imprimis criminali maximam sane vim habere posset ius canonicum. Et niti quidem videtur haec sententia argumentis, profecto haud leuibus. Cum enim Iureconsulti, haud vulgaris auctoritatis, ius Romanum in Germaniam seculo XIII. aduenisse contendat 28), et contrariae sententiae

---

*ricus III. et frater huius Ioannes Electores imperii, etiam post instauratam lucem verae, et salutaris doctrinae coelestis et manifestatam Romani Antichristi tyrannidem, nihilominus tamen in hac Academia doctoribus iuris fecerint facultatem, ius pontificium docendi, et id ipsum non modo permisit Elector IOANNES FRIDERICVS, sed et mandaverit, et reliqui etiam Electores Mauritius, Augustus et Christianus idem voluerint et princeps noster clementissimus D. Fridericus Wilhelmus — nuperrime statuerit. conf. CARPZOV Iurispr. Rom. Sax. P. I. Constit. XX. Defin. 16. et Constit. XXI. Defin. 2. et v. 4.*

26) vid. Io. DAVH in Comment. de Testamentis, Lips. 1594. §. qui testam. fac. poss. no. 170.

27) Ita *Statuta-Fac. Iur. Jenens.* Cap. V. hanc sanctionem continere: *publice Institutiones, Codicem, Pandectas, Decretalium librum secundum aliasque materias iuris canonici, duntaxat ad usum fori pertinentes, praecipunt: testis est STRVIVS Hist. iur. Cap. VII. § 37. p. 666.*

28) vid. *Cbr. Gottl. RICCVS* Spicilegium historico diplomaticum, quo iuris iustiniani



aliorum, seculo XIV. <sup>29)</sup>, aut seculo XV. demum <sup>30)</sup> Germanos iure Romano vsos fuisse dicentium, plurimis, iisque grauissimis sane exemplis <sup>31)</sup>, refutari optime possint, ius canonicum vero, duobus fere seculis ante ius Romanum in Germaniae foris obtinuisse plurimum testimoniis <sup>32)</sup>, multisque exemplis <sup>33)</sup> constet: quin dicto

---

in aulis Germanorum Principum atque personarum illustrium adoptati vsus pragmaticus inde a seculo XIII. et XIV. ex ipsis fontibus ad historiam iuris illustrandam eruitur atque ostenditur. Francof. et Lips. 1738.

29) Quorum in numero sunt *Io. Fr. RHETIVS* Meditat. ad Instit. iur. Diss. I. §. XVII. pag. 12. IDEM ad proemium Feud. No. XXXIII. p. 8. et *Iac. Carol. SPENER* in iur. publ. P. III. Libr. II. cap. X. §. 9. lit. c. aliique.

30) Hanc sententiam amplexi praecipue sunt *Herm. CONRING* de Orig. Iur. Germ. cap. XXII. et in Oper. Tom. VI. pag. 164 seq. *Sam. de PVFFENDORF* de statu Imp. Germ. Cap. V. §. 13. *Chr. THOMASIVS* in not. ad Instit. Libr. I. Tit. II. pag. 11. *Geo. BEYER* Delin. iur. ciuil. secund. Pandect. Tit. de O. I. §. 376 seq. et *Gottl. Gerb. TITIVS* Libr. I. Iur. Priv. Rom. Germ. cap. V. §. 21. pag. 65.

31) Leguntur apud *Io. Nic. HERTIVM* Diss. de Consult. Legib. et Iud. in Spec. Germ. Rebuspubl. §. 11. *Uldericus ab EYBEN* Diss. de orig. vsu et auctor. iur. canon. in terris Protestantium, Helmst. 1672. et in *Eivs* Select. a *HERTIO* collect. Argentor. 1708. p. 209. b. *Sam. REYHER* Hisf. iur. vniuersal. cap. XXV. §. 23. pag. 128. *STRUV* Hist. Iur. Cap. VI. §. 39. pag. 529. seq. not. 2. *BÖHMER* Ius eccles. Prot. Libr. I. Tit. II. §. 48 seq. pag. 114. Tom. I. *HEINECCIUS* Hist. iur. Libr. II. Cap. III. §. 64. seq. pag. 886. et *RICCIUS* l. c. §. 14 et 15. pag. 18 et 23.

32) vid. *CONRING* l. c. Cap. XXXIII. et *BÖHMER* l. c. Libr. I. Tit. II. §. 32 seq.

33) vid. *BERTHOLDVS* *Constrantiensis* ad A. 1093. pag. 369 seq. *Gebhardus* *Constrantiensis* episcopus, — cum *Alemanniae principibus* magnum conuentum apud *Ulmam* habuit, in quo conuentu firmissime laudaturum est, vt *Constrantiensi* Episcopo omnimodo secundum statuta Canonum obediretur. — Aliud exemplum affert *Iob. Gottl. Heineccius* kurze Erörterung der Frage, zu welcher Zeir das pästliche Rechr in biessigen Landes Gegenden am ersten bekant worden, §. 5. in *Eivs* vermischren Anmerkungen und rechtlichen Gutachten, Berlin, 1742. No. VI. pag. 56. Quam commentationem antea inserendam curauerat *den Hällischen Anzeigen* de A. 1737. No. XI. vbi ex *Chronico Montis Sereni* vel *Lautersbergensi* a monacho monasterii in monte Petri

tempore ius canonicum in in iure criminali Germanico vim suam  
exserere coepisse, dicamus, nulli dubitamus. Facta autem est  
omnis, per ius canonicum in iure criminali patrio creata mutatio,  
non repente, sed pedetentim, nec vbiq; per Germaniam exeunte  
seculo XI. inualuisse ius canonicum contendi potest, cum ex illis,  
quibus nitimur exemplis, non, nisi passim in vsu fuisse ius cano-  
nicum, liceat argumentari. Quare, si in prooemio ad huius com-  
mentationis primam partem, ab aduentu iuris Romani atque  
canonici in Germaniam, nouam periodum in historia iuris criminalis  
patrii describenda, incipiendam esse statuimus, non ab exeunte  
seculo XI, sed a seculo XIV et XV, quo iuribus peregrinis maximam,  
tantamque auctoritatem fuisse constat, vt patrias consuetudines  
paene omnes propulsauerint et extirpauerint, illud faciendum esse  
contendimus.

---

prope Halam scripto, a MADERO edito pag. 78. ad A. 1205, quo loco sermo est de electione  
dubia praepositi, vbi ad ius canonicum et imprimis Decretales nonnulli prouocauerunt;  
ad hoc primum tempus fratres Sereni Montes adpellationis et verborum *Decretalium* eis adhuc  
ignotorum, usum habere coeperunt: quarum rerum praefari Tiderici electores a Bertholdo  
Merseburgensi Praeposito, et Henrico fratre informati auctores fuerunt.

---



VD18

56.

ULB Halle

3

004 996 720





1798, 21.

DE CAUSIS  
AVCTORITATIS IVRIS CANONICI  
IN  
IVRE CRIMINALI GERMANICO  
DISSERTATIO SECVNDA

QVAM  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRO SYMMIS

IN

DIS HONORIBVS

CCXCVIII

C

ITTMANN

VTR. BACC.

CHNITZ.

